

56416

75645

LIBR.  
C.  
DIA.

756403



E X A M E N  
VETVSTISSIMI  
M. MORAVIAE  
S I T V S;

CUM VINDICIIS  
ANONYMI BELAE NOTARII,  
INSTITVTVM

A  
STEPHANO KATONA,  
AA.LL. ET PHILOSOPHIAE DOCTORE,  
PRESBYTERO STRIGONIENSI.



---

PESTINI, BVDAE et CASSOVIAE,  
SVMP TIBVS IOANNIS MICHAELIS WEINGAND.

1786.

756405/a



Rhetoricae et grammaticae abusu quam  
multa falsa venduntur pro veris!

*Anonymus de ratione critica legendi libros. p. 225*

# PRAEFATIO.

AEQVO LECTORI SALVTEM!

---

Quum anno superiore feriis autumnalibus, negotiorum causa, Posonium profectus, ad amicum meum diuertissem; obtulit ille mihi librum, non antea mihi visum, non auditum, typis Landererianis ibidem vulgatum, cum hoc titulo: *Vetustissimus magnae Moraviae situs et primus in eam Hungarorum ingressus et incurfus, quem geographice, historice, critice descripsit et vetustis ac plerumque coaevis monumentis illustravit Georgius Szklendz, presbyter Strigoniensis, AA. LL. et Ph. D. in regio Posoniensi archigymnasio humaniorum professor primus.* Quia haec inscriptio multa promittere videbatur; opus ipsum auide

P R A E F A T I O.

moX arripui, quantumque per temporis angustias licuit, ob iter et cursim inspexi. Sed, quum fundamenta noui systematis accuratius excutere tunc mihi non vacauerit; ea me, quamprimum e laboribus aliis, iam tunc animo destinatis, emerissem, in examen vocaturum esse, pollicebar. Interea partim theologicis quibusdam lucubrationibus, partim litterariis per Hungariam expeditionibus, partim in ordinem digerendis, quae hoc anno collegeram, diplomatibus, distractus, datam fidem liberare non potui. Laboribus his expeditus, sub initium huius mensis eo consilio laudatum opus diligentius euoluendum assumpsi, vt, si nouum illud systema, quod ibi proponitur, solidis argumentis *et vetustis ac plerumque coeuis monumentis*, vt in ipso

*P R A E F A T I O.*

ipſo limine promittitur, inniti comperero; meum illico repudiarem illudque citra moram ac tergiuerſationem vllam adoptarem.

At enim, quum promiſſis illa monumenta non reſponderent; quum ſolida noui ſyſtematis fundamenta nuſquam compa-  
rerent; quum anonymum Belae notarium indigniſſimis modis traduci, tamquam fabulatore et ſomniatore derideri, prae ve-  
tuſto hoc ſcriptore Sulzerum, Gelafium, Auentinum, Ranzanum, et quos non? obtrudi viderem; temperare mihi non potui, quin, antequam ad calcem vſque librum illum euoluerem, eiſdem refutationem inchoarem. Quia procuſum ab hoc auctore nouum ſyſtema, ſi Belae notarium audiamus, conſiſtere non poteſt; ad eleuandam

P R A E F A T I O.

eius fidem ac auctoritatem omnes fere locos rhetoricos, argumentationes, tropos et figuras in aciem producit, meque per eius latus tot dilemmatibus, interrogationibus, amplificationibus oratoriis petit, vrget, stringit, vt me iam suum esse *captivum* putare videatur. Hem decretoriam sententiam: (a) *Ipsè cl. scriptor historiae criticae proprio se iugulauit gladio.* Me miserum militem! qui tam infeliciter arma tractare didicerim, vt meo me gladio, rudis et imperitus eum vibrandi, iugula-  
uerim.

Fortasse tamen erit modus, ictum declinandi, quem ille gladio non meo, sed  
suo,

P R A E F A T I O.

fuo, mihi perperam afficto, in meum iugulum vibrauit. Erit fortassis aliqua ratio, cornutorum syllogismorum, qui saepius in meum caput intorquentur, vim euadendi, ac vno saltem, si non vtroque, cornu decusso, salutis meae consulendi. Fortassis aliqua si non porta, saltem rima pandetur, qua probrosam hanc captiuitatem effugere possim. Mihi quidem in opusculo laudato multa videntur, exercitationis potius rhetoricae, quam dissertationis historicae causa, conscripta fuisse. Vnum promulsidis instar exemplum, quo fides anonymi Belae notarii deridetur, promamus et delibemus. Scripserat anonymus in haec verba: (a) *Milites Salani ducis, quos ibi inuenit, ca-*

---

(a) Cap. XIV.

P R A E F A T I O.

*tenis ligatos, in castrum Hung duci praecepit. Audiamus iam, quam elegantem in hanc sententiam amplificationem noster orator adornauerit. Hic noua rursus, inquit, (a) enascitur quaestio: unde scilicet tot Arpado catenae? Quando tantum et ubi locorum exercuit ferrum, ut omnibus militibus bello captis catenandis suffecerit? E Scythiane has secum catenas Hungari tulere, ubi ferri exercitium viguisse nemo docet? An in arce Vngensi stricturis calibum cauernas aperuere, orbisque orbibus impediendos informauere, quos prior vincendi, quam catenandi hostis cura tangebatur, ne ante victoriam triumphum canere viderentur? An, durante demum pugna, quum victoriam in*  
*suas*

P R A E F A T I O.

*suas partes inclinantem viderent, folles dimisere liquefaciendae et in catenas formandae massae?* Propter gemmulas amplificationi huic insertas, propter *orbis orbibus impeditos*, aliosque flosculos exercitationi huic inspersos, illum eloquentiae studiosum, qui suum thema rhetoricum tam eleganter concinnaret, ad primam ego classem referendum censerem; nisi minutam omnem diligentiam, amplificationis leges cauendam praeciperent. Ego sane non existimo, grauem virum ludicras id genus amplificationes in re historica sine stomacho lecturum esse.

Sed nimirum haec anonymus conuicia meruit, quod amplitudini ditionis Suatoplugi non faueat. Ita Schwartzius quoque

P R A E F A T I O.

que plaustra conuiciorum in Carthuitium, illi per contumeliam chartaceum, auctoremque non luculentum, sed lutulentum, propterea iacit, quod commentitium eius systema, de Hungaris per Graecos conuersis, conuellere videatur. Non est auctor, quem ego ridiculum facere, si velim, nequeam. Si propter aberrationes nonnullas historicus aliquis explodi repudiarique penitus debeat; omnis historia profana finem breui habebit. Certe, si, volente Schwartzio, Carthuitium; iubente Szklenario, Belae notarium abiiciamus; potiori iure Turrotzium, Ranzanum, Bonfinium aliosque respiciamus, est necesse, qui multo pluribus erroribus, quam illi, scatent; nec minus systemati, quod nuperus hic auctor commentus est, aduersantur. Ita, si hunc au-

P R A E F A T I O.

dimus, nullam nos patriae historiam habebimus. Operae pretium igitur esse duxi, primum quidem fundamenta noui huius systematis in examen vocare; deinde fidem anonymi vindicare, non quidem omnem eius narrationem ac opinionem meam faciendo, criminationes tamen obiectas excutiendo, videndoque, num illae vel verae, vel tantae sint, vt hic auctor e manibus dimitti contemnique debeat. Hoc onus pro veritate dimicandi cum nomen ipsum militis non inertis, sed sectoris (*Vá-gó-Katona*) tum partus ille historicus, quem de primis Hungariae ducibus inscripsi, mihi videtur imponere. Nam, si nouitium hoc systema, quod auctor laudatus, Hagecianum paraphrasten sequutus, in lucem edidit, veritate nititur; pleraque, quae de

pri-

P R A E F A T I O.

primis illis Hungariae ducibus ex anony-  
mo Belae notario concinnaui, collabi reii-  
cique debent.

Spem igitur certam habeo, te, lector  
beneuole, veniam mihi daturum; si pro  
vetustissimo hoc auctore tuendo gladium  
nonnihil acutiorem frinxero: nec illud  
aegre te laturum, si sales nonnumquam ad-  
miscuero; quum res leues et ludicrae fe-  
rio tractandae non videantur. Dabam Stri-  
gonii, pridie Kalendas Ianuarias, anno re-  
paratae salutis MDCCLXXXV.



## EXAMEN VETVSTISSIMI SITVS MAGNAE MORAVIAE.

### I.

Cl. auctor in praefatione fatetur, vetustis-  
simis testimoniis curatius in examen  
reuocatis, *aliud systema veteris historiae  
Hungariae se formare velle, et Hunga-  
ros longe alia, quam plerique ante se praestiterunt,  
via ad has oras adducere.* Quamuis temerarium  
videatur, tacite profiteri, se plus videre, quam  
tot alii per tot secula viderint; si tamen nouum  
aliquod testimonium et documentum, quod antea  
latuerit, in lucem educatur, quo systema, vetu-  
state corroboratum, euerti possit, laudandus est  
eius viri conatus, qui velit adultum id genus  
errorem ex aliorum mentibus eximere. Nostrum  
igitur erit videre, quo nouo documento, tot  
aliis adhuc ignoto, sit adductus aduersarius ad  
viam illam deserendam, qua siue anonymus Be-  
lae notarius, siue Turotzius aliique veteres et  
recentiores auctores Hungaros ad has oras ad-  
duxerunt. Quia vero *cum hoc argumento artiss-  
sime copulabatur notitia geographica Moraviae ma-  
gnae;*

gnae; hanc firmis, vt confidit, argumentis libro primo praemisit. Id igitur itidem ad incudem vocandum est, an adeo firma haec argumenta sint, vt magnae Moraviae limites nulla ratione restringi locoque moueri possint aut debeant.

II. Quibus porro limitibus omnis Pannonia fuerit conclusa; docet ex hoc Iornandis, seculi VI. scriptoris, loco; (a) *Pannonia, in longa porrecta planitie, habet ab oriente Moesiam superiorem, a meridie Dalmatiam, ab occasu Noricum, a septentrione Danubium; ornata patria ciuitatibus plurimis, quarum prima Sirmis, extrema Vindomina. Hinc insert, si quid ab Hungaris in Pannonia gestum legerimus; id neque ad Daciam, neque ad Tibiscanas Vaganasque oras, ad nullam denique septentrionalis ripae Danubii partem traducendum esse. Si haec aequa tibi postulatio videatur; eiusdem testis auctoritate non minori iure videor abs te postulare posse, ne Noricum, quod ab occasu Pannoniam perstringit ac ultra Vindominam incipit, Pannoniae huic inferas. Hoc autem dato, vide, quid roboris illa tua ratiocinatio habeat, quam ex Agapiti litteris, duas Noricae regionis prouincias diuidentis, in hunc modum informas: (b) Itaque et regio Auarorum, et Morauorum, quarum mentio hic iniicitur, duabus bis continetur Pannoniis. Alioquin regiones, quas diuisio haec complectitur, vocantur duae Noricae regionis prouinciae. Hodierna autem Morauia, ad Granum olim, vt ferunt, continuata, nunquam fuit*  
No-

(a) Get. n. 50.

(b) p. 50.

*Noricae regionis prouincia; proinde Morauorum regio, cuius hic meminere testes coacui, ad Pannonias spectabat. Sicut igitur, non obstantibus limitibus a Iordane designatis, minus proprio sensu Noricum etiam in Pannonias extenditur; ita Pannoniae, latius sumtae, nonnunquam extra limites, ab eodem descriptos, egrediuntur. Qua quaeso, ratione Pannoniam proprie dictam interpretaberis, quum de Patzinacitis ita loquentem Cedrenum legeris: (a) *Incolunt trans Istrum planities, a Borystbene fluuio ad Pannoniam usque porrectas?* Dicesne, Patzinacitas ad Danubium usque, qui Pannoniae proprie dictae limes erat, porrectos fuisse? Ne mireris igitur, si vel apud anonymum, vel apud alios scriptores patrios pro tota Hungaria Pannoniam accipi videris; neque statim in Pannonia proprie dicta gestum putaueris, quod vniuerse gestum in Pannonia legeris. Tu tamen huic fundamento, vide, quam debili, multum inaedificasti.*

III. Licet autem tibi darem, hanc extensionem ante seculum Christi XI. non inchoasse; scriptores tamen, qui post seculum XI. res anteriores litteris consignarunt, per prolepsim quamdam historicam ad aetatis suae morem eam extensionem et appellationem vsurparunt: ad eum fere modum, quo scriptores post seculum VI. res etiam ante hoc seculum gestas annis Christi consignant et distinguunt; licet chronotaxim Christianorum ab ortu Christi Dionysius Exiguus Scythia primus sub medium seculi VI. deducere coeperit. Ceterum hanc extensionem ante seculum

A 2

XI.

(a) *Apud Stritt. T. III. p. 816.*

XI. inchoasse, patet ex Reginone, qui scribit, (a) gentem Hungarorum ferocissimam, - a Scythicis regnis - egressam, - primo quidem Pannoniorum et Auarum solitudines pererrasse; deinde Carantanorum, Marahensium ac Bulgarorum fines - irrupisse. Haec profecto sententia crucem tibi, qui Marahensium fines in Maesiam vsque potrigis, eoque prius, quam in Pannoniam, Hungaros inducis, figet; nisi Pannoniorum solitudinem ab hoc ineuntis seculi X. scriptore latius acceptam fuisse contemseris. His igitur adeo debilibus fundamentis in praefatione iactis, an reliqua solidiora sint, exploremus. Partiris tuum hoc opus in duos libros, singulos quaterna capita complexos, quorum primo systema tuum propugnans, altero praecipue Belae notarium oppugnans. Praeuentis vestigiis insitemus; nec tamen omnia, sed praecipua duntaxat, et ipsam tui systematis arcem irruademus.

IV. LIBRI I. CAPITE I. vis ostendere, (b) *Morauiam veterem per Maestas atque Pannonias fuisse*. Vbi quum ais, (c) *longe aliis, atque hodie, terrarum tractibus veteris Moraviae situm respondisse*; dicis, quod omnes dicunt. At, quum subiungis: *Quin et nomen et imperium Morauorum in Maesiis primum natum et auctum, inde in Daciam illatum, et Radislai ac imprimis Suentibaldi, ducis Morauorum potentissimi, armis ad extremos hodiernae Moraviae fines propagatum fuisse, indubitatis*

(a) Ad A. C. 889.

(b) pag. 1.

(c) pag. 3.

*bitatis scriptorum monumentis, primum omnium vt statuam, adducor; asseris, quod et meam, et aliorum lectorum attentionem inaudita sententiae nouitate vehementer excitat. Quare benignis auribus excipiemus indubitata haec scriptorum monumenta, quae nobis vel nondum audita, vel non satis intellecta fuerint. Et, quia Suatoplugo hanc tantam potentiam et magnitudinem, quam eidem praeter expectationem nostram adstruis, non inuidemus; exutis, vel, vt optas, suspensis, praeiudiciis, tibi, rei tam vetustae lucem adfusuro, pronis animis auscultabimus. Incipe.*

V. *Inseffas, inquis, (a) a septem Sclauinorum tribubus Maesias, qua hae mare Ponticum respiciunt, et iam circiter annum Cbristi 678. possessas fuisse, a Graecis discimus. Haec nullus in dubium vocat; nullus etiam, qui Byzantinos scriptores legerit, ignorat, has septem Slauorum tribus tributarias Bulgaris factas esse; hos illis coniunctos multa cum Graecis bella vario Marte gessisse; nonnullas Slauorum tribus a Graecis ac etiam Bulgaris subinde defecisse. Quid tum postea? Sedes, ita de his Slauis deficientibus porro loqueris, (b) sedes has ad fluum Bulgariae, seu Maesiae, Morauum figunt: et, nisi hoc nomen suum, a voce Slaui ca marcha - tractum, ex ulteriore Maesia attulere; a fluuio istoc, vel arcibus cognominibus, et terrae inseffae, et sibi Morauorum nomen adiungunt. Argumentum, quod a notatione nominis ducitur, e debilioribus esse, tute nosti.*

(a) pag. 4.

(b) pag. 6.

Miror igitur, quum leges rhetoricae primo loco praecipiant argumenta firma, non debilia, non mediocria, collocari, te tuam causam hinc ordini. Magis argumenti huius infirmitas inde patescit, quod non tantum hic fluuius, olim *Margus* dictus, sed etiam alius, *Marus* antea vocatus, subinde *Moraua* vel *Morauus* fuerit appellatus. Potuerunt igitur etiam ab hoc fluuio *Morauorum* sibi nomen adiungere. Certe vetus *Morabanorum* appellatio facillius a *Maro*, quam *Margo*, deduci potuit. Sed haec, vt nemo non videt, notatio leuis est. Neque tu hoc instar argumenti, sed instar postulati, nec illius mathematici, ponis ac praemittis. Argumenta tua, quae promittis, erunt *indubitata scriptorum monumenta*. Haec impatienter omnes exspectamus; neue promissorum obliuiscaris; eadem idem, nullo taedio vincendi, reficabimus.

VI. Nam illa Graecorum testimonia, quae publicis in notis, (a) ignota nobis non erant, nec statum quaestionis magnopere iuuant. Quaeritur enim, *an Morauia per Maesias fusa fuerit*. De Pannonia nullam tecum, nullam cum vilo disceptationem vel habui, vel habere volo. Testimonium, e Porphyrogenito depromptum, docet ab Heraclio Dalmatias gentesque finitimas, inter quas nulla *Morauorum* mentio fit, descuiisse. Testimonium, ex Eginhardo subiectum, perhibet, nonnullas tribus Slauias a Bulgaris ad Francos defecisse. Iuuat scriptoris antiqui verba referre. *Harastalli*, scribit, (b) *erant ibi, et aliarum natio-*

tio-

(a) pag. 5.

(b) *Ad A. C.* 818.

tionum legati, Abotritorum videlicet, ac Bornae, ducis Guduscanorum et Timotianorum, qui nuper a Bulgarorum societate desciuerant, et ad fines nostros se contulerant. Neque hic adhuc Morauï comparent. Testimonium igitur istud nondum est indubitatum et idoneum ad hunc statum quaestionis, an Morauia per Maesias fusa fuerit, definiendum; nisi docueris, ex istis Morauos, seu Marahanenses, exortos esse; his subinde Suatoplugum dominatum fuisse; paucas has tribus, tam angustiis nunc limitibus conclusas, in eam magnitudinem et potentiam assurrexisse, vt intra dimidium fere seculum, scilicet ad aduentum vsque Hungarorum, magnam illam Suatoplugi Morauiam, quae Daciam, Iazigiam, Pannoniam, Carentaniam, et quid non? complectatur. Hoc opus, hic labor est. Tu tamen hunc laborem, tam cito fatigatus, desugis: prouinciam tam arduam, cum statu quaestionis tam arte coniunctam, alteri committis: Lucium tuae causae vadem constituis, in quem onus tantam rem docendi his verbis reclinas: (a) *Hos populos, Borna deserto, ad Morauum, Bulgariae fluum, consedisse, docet ex testimoniis veterum Lucius de regno Dahm. L. I. C. XV.* Heus! tua res agitur. Tu tantam Suatoplugo fuisse potentiam, indubitatis scriptorum monumentis, primus omnium vt statueres, adductus et pollicitus es. Nihil Lucius de tanta Morauiae magnitudine nouit. Cur illa veterum testimonia, quae rem tantam conficiant, ex eo non depromis? Non omnis, qui tua legit, Lucium in sua bibliotheca habet. Videtur hic aliquid latere; videtur Lucius aliqua, quae tibi displiceant,

in se continere. Non igitur me pigebit, quod te piguit, veritatis eruendae causa, verba vadis huius et *veterum illa testimonia* hic sistere; quum in iis totius rei cardo vertatur. Audiamus igitur tuum sponforem, subrogatum illum doctorem, verbo, suppletem.

VII. Postquam ille supra laudatam Eginhardi sententiam retulisset; mox aliam ex eodem in haec verba recitat: (a) *Borna vero, dux Dalmatiae, cum magnis copiis ad Colapium fluvium Linduito; ad se venienti, occurrens, in prima congressione a Guduscanis deseritur; auxilio tamen praetorianorum suorum protectus, euasit. - Gudusceni, domum regressi, iterum a Borna subiguntur. Rebus iisdem e biographo Ludouici Pii relatis, ita differit: Ex quibus, ducem Bornam cum suis Guduscanis et Timotianis a Bulgaris ad Francos descivisse simul cum Abotritis, constat. Abotritos autem Daciam prope Danubium, conterminos Bulgaris trans-Danubianis, incoluisse, infra patebit; Guduscanos vero et Timotianos citra Danubium in Maesia superiori fuisse. Nam Timacum inter civitates eiusdem provinciae recenset Ptolemaeus; et Plinius Trimachos (Timachos) populos Timacumque flumen ibidem ponit; hodieque Timoxani vocantur, qui ad flumina, Timoch dicta, habitant. - Guduscanorum autem vestigia servantur in vico Gudusca dicto, et ad flumen Mbauna (Mlauna) sito, qui in annem Morauam, maiorem siue Bulgaricam dictam, ex orientali parte influit. - Nonnullis, quae huc non pertinent, ibidem interiectis, ex Eginhardo*

---

(a) *Libr. I. C. XV. pag. 85.*

hardo rursus ista refert: (a) A. C. 824. Ceterum legatos Abotritorum, qui vulgo Praedenecenti vocantur, et contermini Bulgaris, Daciam, Danubio adiacentem, incolunt, qui et ipsi aduentare nunciabantur, illico venire permisit. Qui quum a Bulgaris inique infestari se quererentur, et contra eos auxilium sibi ferri deposcerent; domum ire atque iterum ad tempus, Bulgarorum legatis constitutum, redire iussi sunt. - - A. C. 827. Bulgari quoque Sclauos, in Pannonia sedentes, per Drauum nauali exercitu ferro et igne vastauerunt, et expulsis eorum ducibus, Bulgaricos eis rectores constituerunt. Post haec iterum obseruationes suas ita subiungit: Ex quibus patet, Francorum ditionem etiam ultra Danubium in Daciam extensam fuisse in Abotritos, quos Praedenecentos vocatos asserit ad differentiam Abotritorum, circa Albin in Germania habitantium, quorum mentionem facit anno DCC-XCV. Eodem modo Bulgaros quoque trans Danubium ditionem habuisse oportet, quum Francis contermini fuerint in Dacia; quod confirmatur ex iis, quae sequuntur, scilicet: Bulgaros per Drauum nauali exercitu subegisse Slauos, in Pannonia sedentes; neque enim aliunde, quam per Danubium ex Dacia venire poterant, Seruiis citeriorem ripam Danubii possidentibus. Ideo, sicuti in Dacia trans Danubium confinia inter Francos et Bulgaros fuisse, constat; ita, ubinam fuerint, incompertum est; quum Francos ductu Pipini ad Tibiscum tantum flumen, incolis Tisam, peruenisse, Eginbardus memoret. Sed, sicuti limitem orientalem Francici imperii Baldricum Foro-Iuli in potestate habuisse, patet; ita eundem Pannoniam inferiorem et Carantanorum

(a) Ibid. p. 86. 87.

norum regionem cum Croatia rexisset, ex supra allatis constat: ita ut quicquid Hungarici deinde regni cis Danubium fuerit, cum Carinthia, Istria et Foro-Julio, in potestate haberet; addendique sunt Abotriti in Dacia, siue Bulgaria trans-Danubiana, et Gudusciani et Timotiani in Bulgaria hodierna, siue cis-Danubiana. Nihil ego hic, quae pro te; multa, quae contra te faciant, video.

VIII. Ut a te Lucius stare dici posset; ex veterum testimoniis docere deberet, bos populos, Borna deserto, ad Morauum, Bulgariae fluium, confedisse. Quae sunt illa veterum testimonia, quibus hoc ille doceat? Laudat ille *Plinium* seculi I. *Ptolemaeum* seculi II. scriptorem; addit etiam auctorem tabularum *Peutingianarum* aetatis incertae. Cur vero hos laudat? Eorumne testimonio probat, Slaus tuos ad Morauum, Bulgariae fluium, confedisse? Non leuem iniuriam eruditioni tuae facerem; si censerem, te credere, Slaus eorum aetate, seu seculo I. et II. iam in hac regione confedisse; quum alioquin *inseffas* a septem *Sclauinorum* tribubus *Maesias*, qua hae mare *Ponticum* respiciunt, et iam circiter *A. C. 678* possessas fuisse, tute statuas. (a) Fatendum igitur est, e veterum istorum testimoniis non doceri, Slaus illos, e quibus tu *Morauos* effingere vis, ad *Morauum*, *Bulgariae fluium*, confedisse; sed tantum *Timacum* et ciuitatem, et fluium in illa prouincia fuisse. Bene subinde *Lucius* arguit, *Timotianos*, quorum *Eginhardus* meminit, a *Plinio* *Trimachos*, vel potius *Timachos*, hodie *Timozanos* dictos, ad hunc fluium sedes fixisse.

Iam

Iam vero certum est, Timachos Plinii Slauos non fuisse. Non quidem dubito, Timotianos Eginhardi, hodiernos Timozanos, Slauici generis esse; licet id nec Eginhardus, nec Lucius doceat. Rectius tamen egisses; si tuos Timotianos e *septem illis Sclauinorum tribubus*, quarum memineras, ortos fuisse, docuisses, ne sine causa tuam de magna Morauia dissertationem ab illis exorsus videri posses. Quid autem? an Lucius Timotianos illos ad Morauam fluium, et non potius ad Timacum, consedisse, docet? An illos subinde Morauos dictos, et non potius Timozanos dici, perhibet? An igitur Lucius, ad quem prouocasti, de Timotianis ita loquitur, vt tibi patrocinetur!

IX. Transeamus ad Guduscanos. De his ille nihil e veteribus illis profert; adeoque licet ad Morauam illos consedisse diceret; id tamen *ex veterum testimoniis docere*, dici non posset. Scribit ille, sed e sua tantum opinione scribit, *Guduscanorum vestigia seruari in vico, Gudusca dicto, et ad flumen Mlauna sito, qui in amnem Morauam, maiorem seu Bulgaricam dictam, ex orientali parte influit.* Sed neque haec illius opinio magnopere tibi fauet. An enim ego bene ratiocinarer; si dicerem: Nitrienses, a Nitria, seu ciuitate, seu flumine dicti, confident ad Danubium, quia Nitria fluius in Danubium influit? An igitur rite pariter inferri potest, Guduscanos ad Morauam propterea consedisse, quod Mlauna fluius, ad quem Gudusca reperitur, in amnem Morauam influat? sed do tibi, Guduscanos non tantum ad Mlaunam, sed etiam ad Morauam consedisse; potesne iam vere dicere, quod dixisti, *hos populos, Abotritos, Guduscanos, Timotianos, Borna de*  
*serto*

*serto, ad Morauam, Bulgariae fluium, consedisse, idque Lucium ex veterum testimoniis docere? Tam Eginhardus, quam Ludovici Pii biographus, quos Lucius excitat, Bornam non ab aliis, quam Guduscanis, desertum fuisse, tradunt; nec illos ad Morauam consedisse, vel leuiter inuunt. Abotritos certe non ad Morauam consedisse, sed Daciam incoluisse, differte scribunt. Quae sunt igitur illa veterum testimonia, quibus Lucius docet, hos populos, Borna deserto, ad Morauam, Bulgariae fluium, consedisse? Interrogatio, toties repetita, tibi fortassis importuna, sed mihi necessaria videtur.*

X. Quum enim hic fundamenta grandis aedificii iaciantur; ea diligenter explorari debent, ne tanta moles in arena struatur, leuique subinde vento prosternatur. Patieris igitur, vt cetera Lucianae dissertationis, ad quam lectores tuos relegasti, capita nonnihil excutiamus. Ait ille, *Bulgaros quoque trans Danubium ditonem habuisse; quum Francis contermini fuerint in Dacia.* Haec te legisse, quum ad ea prouocaueris, dubitare non licet. Et tamen, quum refers, (a) anonymum Belae notarium existimare, *Bulgaros ultra citraque Tibiscum rerum potitos fuisse; velut ex tripode pronuncias, hoc in solo nunquam Bulgaros pedem habuisse.* Hoc tu de Bulgaris asseris, de quibus tuus ille sponsor Lucius, testis hoc loco tibi neutiquam suspectus, ita differit: (b) *Bulgari autem tunc, non solum Guduscanos, Timotianos et*  
*Abot-*

(a) pag. 165.

(b) pag. 87.

*Abotritos, sed etiam Slauos Pannonicos per Drauum subigentes, suosque rectiores ipsis relinquentes, in caussa fuere, etc. Quia haec acta sunt, vt ex Eginhardo colligitur, post annum 828. magnus tibi labor incumbet, vt intra breue temporis interuallum, ante Hungarorum aduentum, ex Guduscanis, Timotianis et Abotritis, quos, teste Lucio, Bulgari sibi subiecerunt, magnam illam Suatoplugi Morauiam effingas. Non tibi demet, sed addet potius permolestum onus tuus ille Lucius, quum ex Eginhardo hoc corollarium insert: Sicuti limitem orientalem Francisci imperii Baldricum Foro-Iulii in potestate habuisse patet; ita eundem Pannoniam inferiorem et Carantanorum regionem cum Croatia rexisse, - constat. Haec Francis, illa Bulgaris tuum Suatoplugum eripuisse, breuique temporis interuallo tam magnum euasisse, non prius credam, quam indubitata veterum testimonia non iam Lucio producenda commiseris; sed tute locis fontibusque coronatis, in apricum eduxeris.*

XI. Quum igitur Lucius cum suis testibus nihil tibi patrocinetur; videamus, an Nestor, Russicus scriptor, caussae tuae plus opituletur. Alias quidem oratores in medio collocare solent argumenta debiliora; sed fortasse historici, licet oratorum etiam personam interdum induant, alias leges obseruant. Nestor enim, quum seculo XI. suam historiam compilauerit, magna fide, maiori certe, quam qui post illum instar triarii collocatur, Ranzanus, seculi XV. scriptor, dignus videtur. At enim solam antiquitatem, si cetera desiderentur, ad maiorem fidem conciliandam non sufficere, docet presbyter Diocleas, qui historiam Slauium in idioma Latinum e Slauiico traduxit.

duxit. Hic enim licet non multo post Nestorem scripserit, adeoque Slauorum illa historia, quam Latinam fecerat, ante Nestorem fortassis exstiterit; illum tamen sagacissimus ille Lucius in erudito suo de Dalmatia Croatiaque libro censet (a) *in regno statuendo regumque recensione, regiones, stirpes et tempora adeo confudisse, ut potius fabulas, quam historiam, scripsisse deprehendatur.* En! sola vetustas ad fidem faciendam non sufficit. Incertum est, vbi Slauus ille, qui primam illam regni Slauorum partem commentus est, natus sit; vbi quandoque scripserit. Si patriam Illyricum habuit; maiorem illarum partium notitiam, quam Nestor in Russia, habere potuit et debuit: et tamen fabulam potius, quam historiam scripsisse deprehenditur. Si vero suam e partibus, magis ad septentriones vergentibus, originem duxit; facile Nestor etiam eius commentationem obtinere, deque rebus a se longius distitis eam in rem suam vertere potuit. Aliquid certe veluti per rimam tralucet, illi has fabulas de commenticio Slauorum regno visas esse. Dum enim anonymus ille presbyteri Diocleatis Suetopeleki regnum ultra Sauum constituit; (b) dum eius fines ad Dalmatiam porrigit; dum post Constantinum, seu Cyrillum, Romam euocatum ac inde reuersum, Suetopeleki regis eiusque regni conuersionis; dum libri Slauorum, Methodii dicti; dum institutorum archiepiscopatum et episcopatum meminit; multa quidem confundit, praeluxisse tamen videtur huic Nestoris narrationi: (c) *Slauu, qui sacris  
Cbri-*

(a) *Libr. II. Cap. XIV. p. 150.*

(b) *Ap. Schwandtner T. III. p. 480. - 483.*

(c) *Ap. Szklendr p. 6. 7.*

Christianis initiati, ad Danubium inter Bulgaros degebant, sub principibus Radislao, Suetepoluco ac Hezilone (kozol) legatione adornata, ab Michaele, Graecorum imperatore, doctores fidei et Sacrarum litterarum, quarum ipsi, Latini peraeque ac Graeci sermonis expertes, nec litteras nossent, nec sensum assequerentur, interpretes petierunt. Imperator prouinciam hanc Methodio ac Cyrillo detulit; qui quum omnibus muneris concrediti partibus usquequaque perfungerentur et criminationibus nihilominus multorum paterent; Methodius tandem, ex criminationibus victor, fratre Cyrillo, linguae Bulgaricae condiscendae caussa reuerso, in Morauia mansit; subinde ab Hezilone ad episcopatum Sirmensem, sedem D. Andronici, S. Pauli discipuli, prouectus. Plura quidem anonymus ille presbyteri Diocleatis errat; sed non pauca Nestor quoque confundit et peccat.

XII. Ac imprimis quidem confundit tres Sclauorum principes, vt ignores, sub quo vel a quo legatio sit adornata pro fidei doctoribus. Ex vetustissimo SS. Cyrilli et Methodii biographo constat, id a Ratislao, non a Suetepoluco vel Hezilone, quorum ditio non easdem terras occupabat, factum esse. Audiens, inquit, (a) Ratislaus, princeps Morauiae, quod factum fuerat a philosopho in prouincia Chazarorum, ipse quoque genti suae consulens, ad praedictum imperatorem nuncios misit. etc. Peccat vero Nestor, quum Cyrillum linguae Bulgaricae condiscendae caussa reuersum fuisse scribit; quum e biographo constet, S. Cyrillum, episcopum Romae consecratum, post XL. dies

---

(a) Act. SS. m. Mart. T. II. ad IX. Mart. N. 7.

dies ad meliorem vitam transiisse. Consecrauerunt, inquit, ipsum et Methodium in episcopos, nec non et ceteros eorum discipulos in presbyteros et diaconos. Quum autem philosophus, qui et Constantinus, diem transitus sui imminere sibi sensisset; ex concessione summi pontificis imposuit sibi nomen Cyrillum. - Et sic post XL. dies dormitionem accepit in Domino VI. Kal. Martias. Peccat, quum ab Hezilone Methodium ad episcopatum Sirmiensem prouectum fuisse tradit. Quis enim vel episcopatum, vel archiepiscopatum Sirmiensem seculo IX. superfuisse docuit? Quod illius vestigium in Graecis Latinisque scriptoribus his temporibus vllus adhuc inuenit? Vnusne tam longe diffusus Nestor, quod alii viciniore ignorarunt, cognitum habuit? Mirum profecto, hoc ignorasse Ioannem VIII. P. M. qui, quemadmodum Pagius refert, (a) Methodium dicit in epistola 195. archiepiscopum Pannoniensis ecclesiae; in epistola 248. reuerendissimum archiepiscopum Morabensem. Vnde bene Cl. ac RR. Salagius obseruat, (b) S. Methodium nulli particulari sedi vsque ad annum 890. fuisse affixum; sed fuisse totius Morauicae gentis antistitem. Id enim perspicue docemur ex epistolis Ioannis VIII. in quibus ille Methodium appellat antistitem ab Hadriano papa Morauis ordinatum, itemque Pannoniensis ac Morauiensis ecclesiae archiepiscopum, nulla vnquam sedis cuiusdam particularis iniecta mentione. In eandem sententiam Timon: (c) Ornauerit quidem Hadrianus Methodium honore quodam pontificali; sedem tamen aut regionem, cui praecesset, non de-

(a) Ad A. C. 880. N. 5.

(b) Libr. III. p. 269.

(c) Imag. A. H. L. II. C. XVI. p. m. 291.

designauit. Et paulo post: (a) *Hoc loco, quum Suentopulchro scripsit, summus ille Sacerdos vocat Methodium archiepiscopum Morauensem, alias appellarat Pannoniensem.* Pannoniensis item huius ecclesiae meminit, quum ad Ludouicum, Germaniae regem, eiusque filium, Carolomanum, ac etiam Montemerum, ducem Sclauoniae, scripsit, ac inter cetera haec ad istum subiecit: (b) *Admone-mus te, vt, progenitorum tuorum sequutus morem, quantum potes, ad Pannoniensem reuerti studeas dioecesim. Et quia illic iam, DEO gratias! a se-de B. Petri apostoli episcopus ordinatus est; ad ipsius pastorem recurras sollicitudinem. Hunc Montemerum RR. Salagius opinatur (c) in Pannonia ducatum obtinuisse. Mihi vero vix vllum dubium est, eundem illum principem Seruiae fuisse, cuius ita Porphyrogenitus meminit: (d) Post mortem autem Blastimeri, regionem inter se partiti, principatum Serbliae exceperunt tres eius filii: Montimerus, Stroemerus et Goinicus. - - Paulo autem post, tres fratres, Serbliae principes, contra se mutuo arma sumserunt, superiorque factus vnus ipsorum Muntimerus; qui quum vellet solus principatum tenere, captos duos in Bulgariam transmisit. Haec Stritterus figit inter annos 870. et 886. Quare, quum Ioannis VIII. qui sedit inter annos 872. et 882. aetas congruat, hic Montimerus a pontifice monitus fuerit, vt ad Pannoniensem dioecesim, cui Methodius iure metropolitico praefectus est, reuerteretur. Adeo late patuit, ac etiam*

B

iam

(a) *Ibid. pag. 297.*(b) *Ibid. pag. 204.*(c) *Libr. IV. p. 442.*(d) *Ap. Strit. T. II. p. 155. et 575.*

iam vltra Morauiam et Pannoniam Methodii dioecesis pertinuit. Non igitur ab Hezilone, cuius ditio prorsus angustis eo tempore limitibus constringebatur, ad Sirmientem episcopatum, qui neque tunc exstitit; neque, dum exstitit, tam amplios fines habuit, Methodius prouehi potuit; nec vllus adhuc ex antiquis scriptoribus illum Sirmientem episcopum fuisse perhibuit.

XIII. Tu tamen Nestoris, toties exerrantis, totum quantum hoc testimonium, velut oraculum, citra dubitationem et exceptionem vllam recipis, eique licet cum nullo veteri scriptore hac in re consentiat, tantum desers, vt inde, veluti mathematica demonstratione, deducas, Morauiam etiam per Maesias fuisse. *Scrutemur iam Nestoris verba et sensum eorum indagemus curatius.* Ita lectorum attentionem excitas. (a) *Slauī, Danubii accolae, Bulgariae immixti, an possint esse diuersi ab illis, quos, a mari Pontico vtriusque Bulgarorum fortunae socios, versus occidentem progressos, Graeci Francique scripsere!* Possunt omnino; nam illi Slauī, qui Bulgariae prius immixti fuerant, postquam a Bulgaris subiugati sunt, teste Theophane, (b) *partim ad orientales plagas, partim versus meridiem et occidentem ad Auares vsque translati sunt.* Idem perhibet Nicephorus in haec verba: (c) *Partem suorum in eo limite, qui Auares respiciebat, collocant; alios Romanorum finibus obiciunt.* Perge porro. *Iidem, ais, quum suorum prin-*

(a) pag. 8.

(b) *Ap. Stritt. T. II. p. 74.*

(c) *Ibid.*

principum imperiis proni, iussa Radislai, Suatopoluci  
 atque Hezilonis capefferunt; excusserint, necesse  
 est, dudum tam Graecorum, quam Bulgarorum iu-  
 gum. Non est necesse; nam poterant suorum du-  
 cum iussa capeffere, Francis tamen subesse. Non  
 igitur ex eo, quod suis ducibus obtemperauerint,  
 sequitur, eos tam Graecorum, quam Bulgarorum  
 iugum, et quidem dudum, excussisse. Sed excuf-  
 ferint; quid iuuat, iugum illorum exuere, Fran-  
 corum induere? Ceterum caue, ne, si, caece du-  
 cem tuum Nestorem sequendo, Suatoplucum et  
 Hazilonem iisdem regionibus praefeceris, in al-  
 tam voraginem delabaris. Non minus, vt dixi-  
 mus, cautus esse debebas in sequentibus eius la-  
 psibus addiscendis: *Et, quum Hezilo Methodium*  
*Sirmiensibus insulis admouerit, ac proinde Panno-*  
*niciis sacris praefecerit, pars quaedam Pannoniarum*  
*ad Hezilonem, et eos, de quibus dictum, Slavos*  
*pertinuerit. Postulatum I. Item, quum iidem*  
*Slau, Bulgaris immixti, iuxta terras coluerunt;*  
*in Maesia quoque certos terrarum tractus possede-*  
*rint, oportet. Postulatum II. Iam apud eosdem*  
*Slavos Methodius manens in Morauia mansisse a*  
*Nestore scribitur; fundebatur itaque Morauia et*  
*per Pannoniarum, et per Maesiarum partem. Quod*  
*erat demonstrandum. Sed enim hanc ego demon-*  
*strationem video postulatis, non prorsus mathe-*  
*maticis, inniti. Nam inprimis, ab Hezilone Me-*  
*thodium Sirmiensibus insulis admotum fuisse, vete-*  
*rum scriptorum monumentis, quae pollicebaris,*  
*non tantum ignotum, sed etiam contrarium esse,*  
*iam vidimus. Deinde Slavos Bulgaris immixtos*  
*mansisse, postquam eorum iugum excussissent seque*  
*Francis subiecissent, tam est incredibile, quam,*  
*Cabaros Chazaris immixtos mansisse, postquam se*

Turcis subiecissent. Denique Slauos in Maesia certos terrarum tractus possedisse, certum quidem est; sed illos Morauos fuisse, vel ex illis Morauos ortos esse, nondum probatum. Id vero, quod in haec verba subiicis: (a) *Nec nominis (Morauiae) incunabula alibi, quam hic (ad Morabum fluuium) terrarum figenda; vnde primum, licet iam dudum apud suos adulta, ad exteros prodierunt; nouum iterum postulatam est. Quis enim docuit, illud nomen ibi iam dudum apud suos adultum fuisse? Quis docuit, inde primum ad exteros produisse? Hic enim uero meris effatis infirmisque coniecturis, ab aliqua vocis similitudine petitis, vt iam alias monuimus, non acquiescimus; sed indubitata scriptorum monumenta, quae tanta cum asseueratione promissa sunt, iure deponimus. Quum autem leue hoc argumentum, a notatione nominis petitur, tantopere tibi placeat, vt illud identidem inculces; ne porro nobis aures eodem obtundas, audi Suidam Graecum, a Farlato laudatum, qui vocis huius etymon in hunc modum exponit: (b) *Slauum ex regione trans Danubium primo uenere. Quumque finitimis saepe uenissent auxilio; terrae melioris occupandae gratia, tandem populariter transeuntes, in Illyrico consederunt; parique eorum deinde Bohemiam occupauit et regionem proximam, quam a MARAVAHA flumine MARAVANIAM appellant. Nam Marcomannicum Hermundurum iam pridem in Noricum et Vindeliciam transferant. Audi uetustissimum MS. ab eodem Farlato relatum, in haec verba: (c) *Hungari,***

---

(a) pag. 9

(b) *Ill. r. Sacr. T. I. p. 119.*

(c) *Ibid. pag. 118.*

gari, visa Dalmatarum fortuna, vice versa inuadunt Morauiam, Bobemiam et Saxoniam. Ex his facile difces, a quo flumine Marauaniae, seu Marahaniae, nomen deriuandum; ad quam mundi plagam magnum, quod moliris, regnum sit collocandum.

XIV. Post hos leuioris armaturae milites ad triarios tandem ventum est. Ranzanus in aciem prodit; Ranzauus, inquam, qui sub exitum seculi XV. scripsit, Ranzanus, iudicio Bongarsii verissimo *negligens*, qui S. Stephanum anno 969. natum, anno 1038. mortuum fuisse, non tamen plures, quam 63. annos vixisse perhibet, vt alia negligentiae huius argumenta non commemorem. Tu tamen ad firmandum nouum systema tuum nec ab hoc auctore dedignaris testimonium et argumentum emendicare. Maiorem autem illi fidem conciliaturus, ista praemittis: (a) *Quamquam nec patria, nec gente Hungarus, et longissimis temporum spatiis ab re, quam cura sua complectebatur, remotus fuerit; auctoritate tamen Elinii, scriptoris Franci, originem omnium gentium barbararum, quae a M. Constantini temporibus ad suam usque aetatem varias orbis terrae partes tenuere, opere egregio enarrantis, nixus, ac ipsis proinde rebus fide aliena propius admotus, omnes fingendi causas procul habens, haec ait. Antequam istius testimonium audiamus; nosse iuuat, Elinium illum, peraeque nec patria, nec gente Hungarum, sub exitum seculi XIII. scripsisse; non igitur illum antiquissimis scriptoribus accenseri posse. Deinde Ranzanum, ipso*

B 3

teste,

teste, (a) tantum ea, quae pertinent ad originem Tartarorum et Gothorum Vandalorumque atque Longobardorum, Hunnorum et Hungarorum, non item Morauorum, ex illo depromisse. Denique, quam illimis ille sit et fons, et riuus, vel hinc apparere, quod loco citato dicatur, *Hunnos fuisse cognominatos a duce, Hunno nomine; Hungaros vero a Sarmatica quadam regione, vnde in Pannonias venerunt.* His tamen dissimulatis, videamus, quid Ranzanus, non tam ex Elinio, quam ingenio suo de Suatoplugi Morauis afferat. Progressu postea Temporum, inquit, (b) multi ex vtraque Maesia et ex Dacia atque magna Germania, exque propinquis aliis aliquot populis, soli feracitate adducti, ad eandem regionem (Pannoniam) habitandi illic animo, paullatim conuenerunt, delegeruntque sibi, prout fuit cuique placitum, loca habitatu idonea. Ceterum, quum nemo dominatum apud ipsos tene- ret, perditae, sine legibus, proque suo quisque arbitrio, vitam transfegerant. Quumque mire vbique per omnem longe lateque regionem populi multipli- carentur, nec sine moderatore possent honeste iuste- que viuere; omnium consensu praeficiunt sibi virum quemdam, natione Sarmatam, Suatopolugum nomi- ne. - Eo ita principatum tenente, Hungarorum ex- ercitus - Pannonias ingressus est. Non penitus tibi hic auctor placet. Ideo nonnullas res ex eo reseccas; mox etiam negas, (c) principium finem- que regni Morauici in vno eodemque Suatopoluco coniuncta fuisse. Cur igitur eius sententiam retu- listi? cur ad maiorem illi fidem conciliandam et-  
iam

(a) Indic. VI.

(b) Ibid.

(c) pag. 10.

iam Elinium ingratiis adiunxisti? Quia, subiicis, (a) *cetera Graecis Russicisque annalibus consentiunt*. Illane his etiam consentiunt, quae rescidisti? sed demus, omnia consentire; quae tamen ex Ranzano retulisti, causam tuam adiuuare nulla ratione possunt. Status quaestionis est, *an Morauia vetus per Maesias fusa fuerit*. Quid Ranzanus ad tuam affirmantem sententiam conducit? An, quod dicat, *ex utraque Maesia nonnullos in Pannoniam habitandi causa venisse*? Atqui dicit etiam *ex magna Germania venisse*. Quare, si Morauia per Maesias fusa fuit, quod illic in Pannoniam aliqui venerint; fundi pariter per magnam Germaniam debuit, quod indidem etiam in Pannoniam aliqui venerint. Inuoca iam Ranzanum tuum, et, si vis, etiam Elinium, vt tibi discrimen assignent. Ranzanus quidem non tantum tibi nihil prodest, sed plurimum etiam obest. Ait is, *populos istos in Pannoniam confluxisse seque Suatoplugo subiicisse*. Quid opus erat ex Maesia hanc ob causam in Pannoniam venire; si iam alioqui Maesia Suatoplugi iuribus obnoxia fuit? Caue, ne Suatoplugi ditionem et magnam illam Morauiam vnus Pannoniae limitibus hac ratione constringas. Hic profecto, si Ranzanum audis, Pannoniam latiore sensu sumere debes; licet alibi hanc significationem acrius oppugnes. Et tu quidem, initio non satis Ranzano fidere visus, dicebas, (b) *illum sententiae huius haud alienum fuisse videri*; seruo tamen abreptus dictique huius poenitudine tactus, in fine pronuncias, (c)

B 4

*illud*(a) *Ibid.*(b) *pag. 9.*(c) *pag. 11.*

*illud Ranzani sententia fixum stare, Morauos prima regni fundamina in Maesia et Pannonia iecisse. Cur in Pannonia? quod istuc Slaui venerint. Cur in Maesia? quod istinc Slaui venerint. Atqui venerunt etiam ex magna Germania; pariter igitur Ranzani sententia fixum stat, etiam in magna Germania Morauos prima regni fundamina iecisse. Quod erat demonstrandum.*

XV. *Haec, inquis, praemittenda duxi, quo ortus et ab illa parte limites magnae Morauiae utcumque defigerem. Quum aperte fatearis, te limites illos utcumque tantum defixisse; simul etiam tacite fateris, indubitatis scriptorum monumentis, ut praemiseras, ad hos limites statuendos adductum te non esse. Nam hi, pergis, quomodo illic olim reipsa diffusi; qua parte substricti, qua e contrario deducti flexique in transversum, denique qua sensim dilatati, aut a veteribus ad novos terminos detorti fuerint; coniectare, si liceat, nolim. Hic Rhodus, hic salta. Hic, hic est Bufiris, quem declinare, si saluam opinionem tuam tueri velis, debes. Atqui hic, si non demonstrare, saltem coniectare deberes, quomodo tres illae tribus, quas inuisti, non docuisti, sedes suas ad fluum Bulgariae, seu Maesiae, Morauum fixisse, reipsa diffundi sensimque dilatari potuerint. Onus quidem probandi, has tribus ad Morauum reipsa confedissee, iam prius in Lucium male reclinaisti; nunc prouinciam ostendendi, quomodo sensim eadem dilatatae fuerint, nec illi, nec alteri committis, nec ipse suscipis. Coniectare, si liceat, nolim. Cur nolis? Putasne fossam tantam vno facillique saltu superari posse? Hic fundamenta tantae rei, quam contra receptam omnium sententiam*

am

am primus omnium molitis, iacienda fuerant, ne videreris in arena tantum aedificare. Certe fundamenta, quae praemisisti; leui labore subruta sunt. Altius igitur humum egere. Certius doce, tres illos populos, Abotritos, vulgo Praedene-centos, Guduskanos, Timotianos, vt prius Graecorum et Bulgarorum, ita deinde Francorum iugum excussisse regnoque Moraviae fundamenta iecisse.

XVI. Tres nobis sunt cogniti Slauicae gentis, cuius causam suscepisti, principes ante Hungarorum aduentum: Moymarus, Rastices, Suatoplugus; quos ad fluuium Maesiae Morauum dominatos fuisse, non prius credemus, quam *indubitata scriptorum monumenta*, quae promissisti, viderimus. Moymarum ducem Morauorum et iam Christianum fuisse sub annum Christi 824. colligitur ex Eugenii II. litteris, ad praefules et principes Auarum et Morauorum directis. (a) Hoc autem tempore Slauos illos, quos tu Morauos facere vis, Francis adhaesisse, synchronum Eginhardi testimonium, ex Lucio supra recitatum, ostendit. Rastices SS. Cyrillum et Methodium in Morauiam acciuit sub A. C. 863. oculis orbatus ac in monasterium detrusus A. C. 870. successorem accepit Suatoplugum; sed neutrius vllum in Maesia dominatus vestigium adhuc detectum legimus. Immo nouimus, postquam Bulgari Maesiam inferiorem, Serbli vero superiorem in suum ius ac nomen rede-gissent, Bulgaros et Seruios principes ordine longo, quem in Illyrico suo du-

(a) *Ap. Salag. L. II. p. 98.*

Fresnius e Graecis Latinisque scriptoribus exhibet, his quoque temporibus in Maesia dominatos fuisse, nec vliam Morauorum ibi principum memoriam occurrere. Nouimus, eodem tempore, quo Suatoplugus Morauiae praesuit, Ioannem VIII. *ad Montemerum, Sclauaniae ducem*, quem Seruiae principibus laudatus du Fresnius adnumerat, (a) scripsisse, neque huic Suatoplugum, sed Prieslauum filium successisse. Nouimus, Arnulfi legatos, ad Bulgariae regem missos, propter metum Suatoplugi, per regnum Brazlauonis, seu Pannoniam Sauiam, iter instituisse. Quae cautio, si Suatoplugus Maesiam in sua potestate habuisset, prorsus inutilis fuisset. Quare licet tu, quomodo Morauii tui sensim dilatati fuerint; quomodo Suatoplugus in Maesiam dominatum intulerit; *coniectare, si liceat, nolis*; nos tamen, hoc tuo saltu non contenti, promissa scriptorum indubitata monumenta, quibus *et nomen, et imperium Morauorum in Maesiis primum natum et auctum, inde in Daciam illatum, et Radislai ac imprimis Suentibaldi, ducis Morauorum potentissimi armis ad extremos bodiernae Morauiae fines propagatum fuisse, doceas, exspectamus.*

XVII. Audimur. Iam tandem purpuratus scriptor Constantinus in medium producit. *Inter Byzantinos, ais, (b) scriptores luculentus testis Porphyrogenitus idemque auctor est, Morauiam magnam inter rudera pontis Traiani interque Sirmium et Belogradum inchoasse.* Itane vero? Porphyrogenitus huius rei testis et auctor est? Vbi? quomodo?

(a) Cap. II. pag. m. 34.

(b) pag. 12.

modo? quibus verbis? subiicis tu quidem aliqua; sed plenius ego referam omnia, quibus opus erit. *A quibus, inquit, (a) sane pulsi Turcae et profugientes, sedes posuerunt illic, vbi nunc habitant. In hoc autem loco antiqua quaedam monumenta supersunt; inter quae pons Traiani imperatoris ad initia Turciae, et Belegrada, quae trium dierum itinere ab ipso ponte distat. Et rursus ad cursum fluminis exstat Sirmium, quod Belegrada abest duorum dierum itinere. Inde magna Morauia, baptismo carens, quam Turcae deuastarunt; cuiusque princeps olim fuit Sphendoplocus. Atque haec quidem iuxta Istrum flumeu monumenta sunt et cognomina. Vteriora vero, quae omnia Turcis habitantur, cognomina nunc habent a fluminibus transcurrentibus. Eorum primum Timeses est, alterum Tutes, tertium Moreses, quartum Crisus, quintum Titzza. Confines autem Turcis sunt orientem versus Bulgari, vbi eos Ister fluuius, qui et Danubius dicitur, separat; septentriones versus Patzinacitae, ad occidentem Franci, ad meridiem Chroboti. En armamentarium apertum, ex quo possit vterque nostrum ad oppugnandam vel propugnandam diuersarum opinionum arcem tela depromere!*

XVIII. Quomodo tu telum tuum ad tuendam sententiam tuam intorseris, iam vidimus. Ais nempe, Porphyrogenitum auctorem esse, *Morauiam magnam inter rudera pontis Traiani interque Sirmium et Belogradum inchoasse. Si tuam igitur intortam explicationem recipimus, Bulgaros vltra fluuium Timacum, ad quem Timotiani tui postea Morauii facti, habebant, versus orientem*

---

(a) De adm. imp. Cap. 40.

tem remouere; Morauios autem vltra Drinum fluuium versus occidentem promouere debemus. Quid iam Montemero, Seruiae duce, faciemus? Illumne Morauios etiam adscribemus ac Suatoplugo subiiciemus? Quomodo praeterea legatos Arnulfi per hostilem hanc regionem in Bulgariam ex Pannonia Sauia traducemus? Quomodo tutos illos aduersus insidias Suatoplugi praestabimus? - Ain' vero, Porphyrogenitum Morauiam magnam a pontis Traiani rudibus inchoasse? Eademne tibi videntur initia Morauiae cum initiis Turciae, quae Constantinus ad pontem Traiani defigit? Nonne Timotiani, quos Morauios facis, Timacum fluuium, vltra Traiani pontem, accolebant? Nonne Porphyrogenitus, descriptis antiquis quibusdam monumentis, inter quae Sirmium quoque refert, deinde primo de Morauiam loquitur? *Inde magna Morauiam*, seu deinde, post Sirmium, non post pontem Traiani, *magna Morauiam*, - cuius princeps olim fuit *Sphendoplocus*. An vero iam ostendisti, Suatoplogum istum eius regionis, quae Maesiae superiori respondet, principem vnquam fuisse? Sed neque statim post Sirmium eius regionis, cuius ille dominabatur, initia fuerunt, vt ex Arnulfi legatis, ad insidias Suatoplugi declinandas per Sauum in Bulgariam promotis apparet. Quid? Errat igitur Constantinus, quum post Sirmium magnam Morauiam collocat? Vt vis. Dicam, illum non errare; si Pannoniam Sauiam Morauiam non adiungat; si latius illud *inde*, seu post Sirmium, accipiat. At, si Morauiam Sirmiensem prouinciam includat; quomodo saluabis illud annalistsae Fuldenis synchroni testimonium: (a) *Missi autem*

---

(a) *Ad A. C. 892.*

autem, propter insidias Zuentibaldi ducis, terrestre iter non valentes habere, de regno Brazlauonis per fluuium Odogra vsque ad Gulpam, dein per fluentes Sauae fluminis, nauigio in Bulgariam perducti! Ceterum in designando Sirmii positu mihi quidem errasse Porphyrogenitus videtur. Scribit enim, ad cursum fluminis, ad quem scilicet tam pons Traiani, quam Belegrada fuit, Sirmium itidem extare. Scribit disertè, haec monumenta iuxta Istrum flumen esse. Scribit Belgradum a Traiani ponte trium dierum itinere, Sirmio duorum dierum itinere distare; quum tamen, quaecunque charta geographica sumatur, ostendet, nullam inter has distantias proportionem esse; si Sirmium in loco Mitrouitz, vt RR. Salagius euincit, (a) stetit dicatur. Nec vllus adhuc Sirmium ad cursum Istri fluminis transtulit. Quare, sicut omnes fatentur, Porphyrogenitum errorem chronologicum per oscitantiam admisisse, quum de commoratione Patzinacitarum in nouis sedibus loquitur; (b) ita hic errorem geographicum tribuamus, est necesse; nisi velimus dicere, Sirmii nomine non tam urbem, quam prouinciam Sirmiensis, iuxta Danubium versus Drauum sese latius explicantem, illum intellexisse. Hunc errorem errasse videtur etiam huius Constantini parens, Leo Sapiens; quum Sirmium ad Danubium ita constituit: (c) *Conseruat vero hic idem Ister nomen suum ad Sirmium vsque, opulentam olim Romanorum urbem, ad extremum autem a Gepidis habitatam.* Vnde Kollarius de Graecis scriptoribus

---

(a) *Libr. III. Cap. I.*

(b) *V. Stritter. T. III. p. 609.*

(c) *Ap. Kollár Anjen, Vol. I. p. 59.*

bus sententiam suam ita promit: (a) *Iam hoc inter omnes constat, in huius generis quaestionibus minimam Graecorum esse debere auctoritatem, qui in geographicis parum, in ethnologicis vero paene nihil viderint. Neque me poenitet, alias pronunciaffe, (b) multa Belae notarium melius, quam Constantinum, de Hungaris sciuisse. Nec ita Graecum hunc scriptorem adorabo, vt malim Arpadi patrem cum illo Salmutzem, quam Alnum cum anonymo Belae notario vocare. Sed de hoc vberius infra sermo recurret.*

XIX. Alterum argumentum e Porphyrogenito sic informas: (c) *Idem Constantinus, posteaquam Hungaros a Patzinacitis de patria sedibusque pristinis deturbatos fuisse enarrasset; subinde Morauiam magnam ab iisdem occupatam et infessam exserte adfirmat. Ita quidem; sed non solam. Ad confedere tunc Hungari Sauum inter et Danubium. Etiam. Itaque haec inter flumina Morauia quoque fuit. Di meliora! Totum artificium huius syllogismi collabatur; si sententiam Porphyrogeniti sincere hic excitauero. Et habitant quidem, inquit ille, (d) trans Danubium Turci in terra Morauiae; atque etiam ulterius, inter Danubium et Sabam fluuios. Quam tu, humanitus aliquid passus, quod ego non malam fidem, sed oscitantiam interpretor, ita refers: (e) Et habitant quidem Turcae in terra Morauiae, intra Danubium et Sabam*

(a) *Ibid.* pag. 45.

(b) *Hist. Duc.* pag. 133.

(c) pag. 13.

(d) *De adm. imp. C.* 42.

(e) pag. 13.

*bam fluuios.* Quisquis aliquid videt, facile videt, quantopere luxetur, immo varietur sensus, omiffis his vocibus: *atque etiam ulterius.* His enim, vt oportet, additis, intelligitur primo, Hungaros non illa Morauia, quam tu confinixisti, quaeue Constantino *cis Danubium* fuisset; sed in illa, quae *trans Danubium* erat, habitasse. Deinde, non in *sola Morauia*, sed *etiam ulterius*, eosdem Turcos habitasse. Denique, Morauiam illam inter Danubium et Sauum comprehensam non fuisse. Iam igitur vides, in propositione syllogismi male te supposuisse, *solam* Morauiam magnam ab Hungaris occupatam et inessam esse. Propositione sic explicata, vide iam, quid ponderis post hanc assumptionem: *At confedere tunc Hungari Sauum et Danubium*, haec consequutio habeat: *Itaque haec inter flumina Morauia quoque fuit.* Nam, si verum esset, nusquam alibi, quam in Morauia, Hungaros confedisse; hoc ipso, quod etiam inter Sauum et Danubium confederint, verum itidem esset, inter Sauum et Danubium Morauiam fuisse. Quum autem illud certo falsum sit; istud quoque necessario deficit.

XX. Tertium ex Porphyrogenito telum non-nihil altius in hunc modum vibras: (a) *Sed longe istud vberius elucescit e limitibus, quibus circumdat Hungaros, iisdem cum magna Morauia terminis clausos, idem Constantinus.* Nondum hoc telum, cuius acies et cuspis paullo prius hebetata fuit, quicquam laedit. Nec enim Constantinus iisdem cum magna Morauia terminis Hungaros clau-

---

(a) pag. 13.

claudit. Quid porro? Etenim Hungaris iam in Morauia late rerum potentibus, ad orientem Bulgaros, ad septentrionem Patzinacitas obtendit; Francos ad occidentem, ad meridiem Croatas obiicit. Ista te feriunt. Sed perge. His itaque gentibus, infers, (a) quemadmodum tunc Hungari, ita antea magna Morauia fide Constantini circumfidebatur. Iam supra hoc eneruatum est. Quum enim Constantinus scripsit, Hungaros in terra Morauiae habitare; mox adiecit: atque etiam ulterius. Et iam diximus, Hungaros totam subinde Pannoniam occupasse, quam tamen totam Suatoplugus non possedit. Perperam igitur supponis, Hungaros iisdem cum magna Morauia terminis clausos, iisdem gentibus, quibus antea magnam Morauiam, circumfessos fuisse. Perperam adeo quaeris: Quomodo vel Bulgaris ab ortu, vel a septentrione Patzinacitis, vel ab occiduo sole Francis; maxime vero a meridie Croatis magna Morauia inspicere poterat; nisi eadem longe lateque in Maesias atque Pannonias procurrebat? Nec enim eos limites magnae Morauiae, sed Turciae, siue Hungariae, Constantinus assignat. Sed, vt clarius intelligas, te hic quoque perperam arguere; diligenter attende, quomodo Constantinus Hungaris ad orientem Bulgaros obtendat: Confines autem Turcis sunt, inquit, (b) orientem versus Bulgari, ubi eos Ister fluuius, qui et Danubius dicitur, separat. Finge iam, verum esse, quod finxisti, Morauiam, ab Hungaris occupatam et infessam, in Maesias procurrere. Dic, sodes, quomodo hic Turcos et  
Bul-

---

(a) pag. 14.

(b) Cap. 40.

Bulgaros *Ister fluvius* separauit? Quid ad haec? - Iam ne vides, omnia tela, ex armamentario Porphyrogeniti deprompta, te certissimis ictibus ferire, totque viros doctissimos, qui Constantinum sequuti, Morauiam adeo longe lateque non fuderunt, nec in Maesiam vniquam immiserunt, non penitus caecutiuisse. - Nouum profligatae caussae tuae patronum excitas Schwartzium, (a) a me iam alias duobus verbis, (b) a RR. Salagio pluribus repressum; (c) quae hic cum taedio recoquere non libet.

XXI. Eodem taedio victus, minutiora, quibus contenditur, (d) Morauos Bulgaris vicinos fuisse, quia nec ego dixi vel dico, longius eodem ad inuicem disiunctos habitasse; subruto praecipuo contrariae sententiae fundamento, silentio transmitto. Taedet etiam leuioribus ex annalista Metensi coniecturis (e) immorari; quum ea, quae hic auctor vna serie refert et confundit, in suos annos in historia ducum digesserim. Vehementer tamen miror, ad hoc annalistsae Metensis testimonium te prouocare, cuius fide Hungari primum *Pannoniorum* solitudines pererrauerint, deinde *Marahensium* fines incurfauerint. Non igitur in *Maesiam*, vbi tu *Marahensium* fines constituis, sed in *Pannoniam*, secus ac tu velis, Hungari primum incurfissent. Nec libet iis, quae de Morauis in *Carantaniam* promotis adferuntur, (f) inhaerere;

C

quum

(a) pag. 15.

(b) *Hist. duc.* pag. 334.

(c) *Libr. II. Cap. III.*

(d) pag. 15. 16.

(e) pag. 17. 18.

(f) pag. 19. 20.

quum annaliftae Fuldenfis testimonio fupra docuerim, Morauorum potentiam nec in Pannonia Sauiam, nedum in Carentania floruiſſe. Quia uero locum Morauis in aliqua Pannoniae parte dedi; quae de hac Morauiae parte diſputantur, (a) contra me non faciunt. Quae tamen ad eleuandam anonymi Belae notarii fidem obmouentur; hic obiter, alias uerius, reſellam. Quaeris, (b) quae poſſit eſſe *anonymi auctoritas, quem, ingentium errorum alioquin compertum, ingens inſuper temporum intercapedo a primo Hungarorum in eas oras aduentu remouit.* Itane miſerum anonymum mox initio caeſim, punctim, validis lacertis inuadis? At at nonnihil aeſtum certaminis temperemus: *ingentes illos errores deinde diſcutiemus: ingentem temporum intercapedinem (omnia hic ingentia) cum aliorum ſcriptorum aetate contendamus.* Quem illo mihi uetuftiorem, ſi forte Carthuitium demas, e patriis ſcriptoribus dabis? Si fuit Belae I. notarius, ut adhuc ſub iudice lis eſt, eodem ſeculo XI. quo tuus irrefragabilis hiftoricus Neſtor, uixit: ſi Belae II. uel III. ſeculo XII. ſcripſit: ſi Belae IV. quod minus uerifiſimile uideatur; ultra ſaeculum XIII. minime remouendus, certe praefereendus et Simoni de Keza, qui ſub exitum eiufdem ſaeculi XIII. et anonymo Turotziano, qui ſub medium ſaeculi XIV. et ipſi Turotzio, Ranzano, Bonfinio, qui cadente ſeculo XV. floruerunt. *Ingentior, ut barbaramente uoculam adeo tibi caram inſectam, temporum intercapedo hos omnes a primo Hungarorum in has oras aduentu*  
remo-

---

(a) pag. 21. 22.

(b) pag. 23.

remouit; et tamen Ranzano iam vsus, neque Turotium, neque Bonfinium adeo despicias, vt propter *ingentio*rem illam temporum intercapedinem eorum testimonium nonnunquam recipiendum non arbitreris. Nec Auentino, nec aliis recentioribus, qui quidem magnitudini potentiaeque Suatoplugi fauent, ingens illa temporum intercapedo quicquam officit. Caecus igitur sit, oportet, qui non videat, non ideo hic anonymum ad ictum destinari, quod duobus tribusue seculis a primo Hungarorum aduentu remoueatur; quum alii, qui sex septemuae seculis inde disiunguntur, recipiantur; sed ideo dumtaxat, quod nouo systemati, nimiam Suatoplugi potentiam exaggeranti, non faueat.

XXII. Videamus cetera, quibus anonymi fides in suspicionem vocatur. *Fontes*, inquis, *unde sua sumsit, nullos prodidit, nullos habuit*. Altera harum obiectionum calumniam, altera temeritatem inuoluit. Profitetur anonymus, (a) *secundum traditiones diuersorum historiographorum* se scripturum, nec tamen illi creditur; mendax esse, quin conuincatur, innuitur. *Fontes nullos prodidit, nullos habuit*. Quae haec temeritas? Adsiuistine scribenti? vidisti, nullos illum fontes habuisse, nullos consuluisse, suo tantum e cerebro, quicquid de primis Hungariae ducibus scripsit, commentum fuisse? Posteriores scriptores eadem cum anonymo multa memoriae prodiderunt; illi tamen fontes habuerunt, anonymus anterior non habuit. Si prius anonymus ea scripsisset, quae po-  
C 2 stea

(a) *In Prolog.*

stea sequiores scriptores perhibuerunt; fontes habuisset. At, quum illorum errorem non expresserit; quum e. gr. Hungaros Pannoniam ingressos esse, cum illis non scripserit A. C. 744. sed e Scythia primum egressos A. C. 884. licet iste veram, illi manifeste falsam chronologiam sequuti fuerint; fontes illi habuerunt, iste non habuit; nec fidem meretur, quod errores post se scribentium non adsciuerit, quod ad veritatem propius accesserit, quod synchronis magis consentanea scripserit. Praeposteram hanc arguendi rationem praecipuum tuum de Belae notario iudicium secum trahit. Sed non minore censura sunt digna, quae mox anonymo his verbis affingis: *Vltro volensque confitetur, exemplo Daretis Pbrygii se primorum Hungariae ducum bella scripturum, hoc est, commenta poetica prosa oratione relaturum.* Quum anonymi verba male detorqueas; imponis mihi necessitatem ea hic exhibendi. Dum olim, scribit is ad amicum, (a) *in scholari studio simul effemus, et in historia Troiana, quam ego cum summo amore complexus, ex libris Daretis Pbrygii ceterorumque auctorum, sicut a magistris meis audieram, in vnum volumen proprio stilo compilaueram, pari voluntate legeremus; petiisti a me, vt, sicut historiam Troianam bellaque Graecorum scripseram, ita et genealogiam regum Hungariae et nobilium suorum - tibi scriberem.* Haec cum tuis aequis lector contendat et existimet, an bene verborum eius sensum expresseris; an anonymus *vtro volensque confiteatur, exemplo Daretis Pbrygii se primorum Hungariae ducum bella scripturum.* Ait, se

---

(a) *Ibid.*

se historiam Troianam non tantum ex libris Daretis, sed aliorum etiam auctorum concinnasse; num hoc est confiteri, se Daretis exemplo scripturum? Ait, ab amico se rogatum, vt, sicut historiam Troianam scripserat; ita genealogiam quoque Hungariae regum et nobilium scriberet; an iam *ultra* volensque confitetur, exemplo Daretis Phrygii se primorum Hungariae ducum bella scripturum? Promisit tunc amico, promisit deinde, se facturum, quod facere iuebatur; sed promittit, id se facturum *secundum traditiones diuersorum historiographorum*, non poetarum; estne, hoc promittendo, confessus, exemplo Daretis se scripturum, *hoc est*, vt addis, *commenta poetica prosa oratione relaturum*? Sed demus, illum promississe, Daretis exemplo se primorum Hungariae ducum bella scripturum; an, hoc promittendo, confessus fuisset, *se commenta poetica prosa oratione relaturum*? Quid? si quis promitteret, exemplo tuo, qui genealogiam illustris Batthyianorum stirpis carmine vulgasti, se hanc eandem genealogiam *secundum traditiones diuersorum historiographorum* oratione prosa descripturum; an is dici posset, *commenta poetica prosa oratione relaturus*? Si ne tua quidem illa carmina dici *commenta poetica* patereris; quomodo tandem dicere posses, illum, qui tantum exemplo tuo, non ex tuis carminibus, sed ex aliis scriptoribus, genealogiam illustris Batthyianorum stirpis contexeret, *commenta poetica prosa oratione relaturum*? En, quantam iniuriam non tantum anonymo, scriptori vetustissimo, sed etiam illis, qui historiam eius recipiunt, irrogas; quasi nempe hi caece ruisent in eius amplexum, qui non nisi *commenta poetica* conpilarasset.

XXIII. Nondum fatis iniuriarum. *Imperitus*, inquis, *conuenientia fingendi*, *Almum ducem, dum suos ad fortiter pugnandum inflammat, lacrimantem inducit*. Vir bone, te ego, per quicquid possum, oro; si iam anonymi cineribus omne genus iniuriarum et contumeliarum irrogare constituisti, saltem lectoribus tuis parce; qui certe cogentur cautius porro tibi fidem adhibere locaque scriptoris idemdem inspicere. Parce, quod has ex me preces dolor expresserit. Nam, vbi tandem has tu lacrimas Almi ducis in anonymo reperisti? Cur locum, caput, paginam non citas? *Almus ante pugnam, cum Ruthenis commissam, armis indutus, inquit anonymus, (a) ordinata acie, super equum sedendo, ibat huc et illuc, confortans suos milites, et facto impetu, stetit ante omnes suos, et dixit eis*. Lacrimisne suos milites confortauit? Apage cum his figmentis, historico profusus indignis! Tu tamen, conuiciando nondum lassus, *ex ore, subiicis, eius precatiunculam Christiani martyris fundit*. Quia *Liuium, quia veteres nouosque historicos legisti; morem belli ducibus orationem adscribendi non esse nouum ac insolitum deprehendisti*. Tunc vero profusus masculam Almi ducis orationem *precatiunculam Christiani martyris* appellas? Suntne conuenientia haec e. gr. *verba: strenue et fortiter pugnemus contra eos, qui assimulantur nostris canibus: et sic multitudinem eorum timeamus, vt muscarum multitudinem?* Hiccine contemptus aliorum Christianum martyrem sapiat? Ita tu per latus anonymi martyres ipsos petis, quando nihil aliud, quam quidam furor arma ministrat. Tum anonymum ita derides: *Tu-*

ra-

(a) Cap. VIII. p. m. II.

vamento Hungarorum anathema ( Romanum, an Graecum? nescio ) adiungit. Hungaricum, si nescis, Hungaricum dtok illud anathema fuit. Hunc idiotifinum periti linguae Hungaricae norunt. Certe neque Graece, neque Latine, sed Hungarice Hungarorum illi duces iurarunt. Si Hungaricum igitur dtok anonymus anathema dixit; ad summum contra Latinitatem, non contra veritatem peccauit. Sed haec, ita denique minaris, infra spiffius excutientur. Etiam nos illic aderimus; et iam nunc, si pateris, te monemus, vt accusationis capita bene digeras; ne tela, quae hic rarius, ibi spiffius in tuum caput recitant.

XXIV. Vt eo citius ad scopum hunc pertingamus; non inhaerebo coniecturis, quibus, dum aduersus RR. Salagium Morauiam per Pannonias fusam propugnans, iusto longiores ac latiores eiusdem Morauiae limites constitutis, ac etiam in Maesiam iterum iterumque porrigis. (a) Illud tamen dissimulare non possum, quod ex episcoporum Bauariae litteris, ad Ioannem IX. A. C. 899. datis, de Maesia his verbis inferis: (b) *Itaque tres illos episcopos, - dum in terram Morauorum venerunt, in Pannoniarum finem venisse, proindeque Morauiam partem Pannoniarum ( hucusque bene ) vicinaque Maesiae loca ( hoc male ) occupasse, compertum habemus.* Miror certe, quomode Maesiam in haec conclusionem intuleris, cuius in praemissis nusquam memineris. Laudati tres episcopi, dum in Morauiam Roma mitterentur, ad eam regionem profecturi, per Pannoniam

(a) pag 24 - 44.

(b) pag. 45.

transiuerunt. Secus enim ab episcopis Bauaris appellari testes in haec verba non potuissent: (a) *Ecclesias DEI incenderunt et omnia aedificia deleuerunt, ita vt in tota Pannonia nostra, maxima prouincia, tantum vna non appareat ecclesia, prout episcopi, a vobis destinati, si fateri velint, enarrare possunt.* Si Morauiam, quam in Maesia nouus conditor erexisti, hi legati petierunt; quid opus erat illis, Roma missis, per Pannoniam Bauaricam transire? - Rursus eandem Maesiam cum Pannonia violente coniungis, et prorsus ridicule sic arguis: (b) *Venerunt igitur tres commemorati episcopi in Pannanias.* De hoc nullum est dubium. Porro venire iidem episcopi, vt verba sonant epistolae, in terram Morauorum. Vtique. Quid? ita tandem quaeris et concludis: *Dubium adhuc esse potest, Morauiam in Pannoniarum et Maesiarum finibus stetisse?* Quomodo hic repente Maesia, cuius nulla prius mentio facta fuit, comparet? Ego sane huius consequutionis nexum cum praemissis non assequor: Episcopi venerunt in Pannoniam: inde transiuerunt in Morauiam: ergo *Morauia in Pannoniarum et Maesiarum finibus stetit.* Per figuram interrogationis hic sensus tegi tollique non potest. Immo iam ad tantam magnitudinem hanc Maesiam eleuas, vt ei Pannoniam quoque, tamquam partem, adiungas. *Ipsa Pannonia, scribis, (c) pars erat Maesiae.* Testis huius rei est *locuples Dandulus.* Idoneus omnino testis, fabulosum scilicet illum Diocleatem presbyterum sequutus, qui, teste Lucio tuo, (c) *Suentopluchi regum ex*  
Pan-

(a) pag. 41.

(b) pag. 53.

(c) Lib. II. Cap. III.

*Pannoniis in Dalmatiam trahit, - Croatiamque, Seruiam et Dalmatiam simul iungens, regnum imaginatus, diuisionem eius commentus est. Oppone iam alterutri huic auctori Cedzenum, qui Pannoniam etiam in Maesiam his verbis immittit: (a) Deleanus - usque ad Morabum et Belegrados peruenit, quae sunt castella Pannoniae, trans Istrum sita, Turcicae vicina ditioni. Quid tandem ex his concludes? Id vnum, non semper proprio, sed lato nonnumquam sensu Pannoniam a veteribus accipi: quumque Morabum et Belgradum non in ipsa Turcia, sed tantum Turcicae ditioni vicina fuisse dicantur; si Morauia, quam Hungari totam occupauerant, tam procul porrecta fuisset; etiam illa loca Hungaricae ditionis aliquando fuissent. Quum igitur appellationes et locorum, et populorum saepe confusas fuisse constet; etiam si daremus, Agathonem Morauorum, Bulgariam incolentium, metropolitam fuisse; non tamen inde sequeretur, vel Bulgariam proprio sensu Morauiam dici potuisse, vel ditionem Suatoplugi Bulgariam quoque proprie dictam comprehendisse; postquam tot testimonia veterum scriptorum utrique huic opinioni reclamant. Sicut enim vnus auctoris, Pannoniam in Maesiam insinuantis, alterius vero, Maesiam in Pannoniam extendentis, testimonium, reclamantibus aliis, non sufficit; vt vel Pannoniam in Maesia, vel Maesiam in Pannonia colloceamus; ita, quod Agathon, Bulgarorum archiepiscopus, Morauorum etiam metropolita dicatur, non sufficit, vt Morauiam in Bulgariam extendamus.*

XXV. Quum id praecipue mihi propositum sit, vt ostendam, Suatoplugi Morauiam in Maefias fusam non fuisse; parum ea moror, quae de Nitria differis. (a) Optassem tamen, vt ea monumenta scriptorum excitasses, quibus doceatur, Gorasum, *episcopum Nitriae*, Graecum fuisse; hanc vero Nitriam, Graecis aliquamdiu sacris addictam, rursus latinos ritus amplexam fuisse; quum constet, Graecos sui ritus admodum tenaces esse. Quia tamen tu, ne tunc quidem, quum de Nitriae situ disputas, Morauiam et Maesiam ex oculis dimittis; me rursus cogis ad argumenta, quibus non tantum Nitriam, sed etiam Morauiam iterum in Maesiam transfers, in examen vocanda. Anonymi de conuersione Caranatanorum verba, quibus ad stabiliendam opinionem tuam abuteris, ista sunt: (b) *Ratbodus suscepit defensionem termini (Pannonici) in cuius spatio temporis quidam Priwina, exulatus a Moimaro, duce Marauarum supra Danubium, venit ad Ratbodum, qui statim illum praesentauit domno regi nostro Hludouico, et suo iussu fide instructus, baptizatus est in ecclesia S. Martini, loco Treisma nuncupato, curte videlicet pertinente ad sedem Iuuauensem; qui et postea Ratbodo commissus, aliquod cum illo fuit tempus. Interim exorta est inter illos aliqua dissensio, quam Priwina timens, fugam iniuit in regionem Vulgariam cum suis, et Chozil, filius eius, cum illo. Et non multo post de Vulgariis Ratimari ducis, adiit regionem: illoque tempore Hludouicus, rex Bawariorum, misit Ratbodum cum exercitu multo ad exterminandum Ratimarum ducem.*

Qui

(a) pag. 60.

(b) *Ap. Salag. T. IV. N. XVII.*

Qui diffusus, se defendi posse, in fugam uersus est cum suis, qui caedem euaserunt: et praedictus Priwina substitit, et cum suis pertransiuit fluum Sa-  
 wa, ibique susceptus a Salacbone comite, pacifica-  
 tus est cum Ratbodo. Quum apud laudatum ano-  
 nymum non sit commatis interpuncta haec ora-  
 tio; In cuius spatio temporis quidam Priwina exu-  
 latus a Moimaro duce Morauorum supra Danubium  
 venit ad Ratbodum; quaestio nascitur, an illud:  
 supra Danubium, ad Moimarum, an ad Priwinam  
 et Ratbodum referatur, seu, an Priwina uenerit  
 ad Ratbodum supra Danubium, an Moymarus fue-  
 rit dux Marauarum supra Danubium. Ipse con-  
 textus uerborum hunc sensum offert; illum ta-  
 men tu mauelis, planamque uerborum significatio-  
 nem his tenebris inuoluis: (a) *Id uocabulum, su-  
 pra, non est eidem scriptori idem, quod trans*  
*Opponit enim illud uoci inferior; quum e sua di-  
 tione, supra Danubium sita, exsulem Priwinam ad*  
*inferiorem Pannoniam adducat.* Clarus anonymi  
 sensus explicatione hac obscurus redditur; nec  
 enim adhuc intelligitur, cuius illa ditio, supra  
 Danubium sita, fuerit. Planius tandem mentem  
 tuam aperis; quum post multas ambages ista  
 demum subiungis. (a) *Non potuit nempe anony-  
 mus ignorare id, quod Porphyrogenita testatur,*  
*Morauiam magnam prope rudera pontis Traiani in-*  
*choasse et uersus Belgradum extensam fuisse.* En  
 claram tui, non anonymi, non Porphyrogeniti  
 sensus explicationem, cum petitione principii con-  
 iunctam! *Haec loca, sibiicis, Maesiae quondam et*  
*orienti soli magis, quam inferior Pannonia, propin-*  
*quan-*

(a) pag. 63.

(b) pag. 64

quantia, anonymo scriptori supra ad Danubium iacuisse videbantur. Quanta vis infertur anonymo, qui quum in Iuuuienti seu Salisburgensi ditione scripisset; per ditionem supra Danubium sitam, obuio sensu nonnisi septentrionalem Danubii plagam intelligere potuit, adeoque Moymarum Morauorum, trans Danubium colentium, fuisse ducem innuit. Tu tamen, vt anonymum in tuam sententiam retorto collo trahas; Ratbodum, inferioris Pannoniae praefectum, supra Danubium; Moymarum, e cuius terris eiectus Priuina fuit, infra Danubium collocas. Quum itaque Priuinam, inquis, e Morauia eiectum dicat; utique adfirmat, eundem ex illis terrarum tractibus, qui inter rudera pontis Traiani et Belgradum protenduntur, eiectum. Etiam si reuera docuisses, quod te minime docuisses, iam ostendi, Morauiam a pontis Traiani ruderibus inchoasse; tanta tamen est vis huius vocis *trans*, vt, quum alioqui Morauiam etiam ultra Danubium plus, quam oportebat, extenderris; ex quacunque potius alia transdanubiana Morauiae parte, quam ex Maesia, Priuinam in Pannoniam inferiorem deducere debueris. Accedit, quod Priuina, dissensionibus abortis, Ratbodum veritus, in Bulgariam cum suis et filio se receperit, adeoque per Moimari ditionem, si haec, vt tu contendis, in Maesia fuit, per eam transiturus, nouo se periculo cum suis obiecisset. Nihil ista te mouent, quum nouum argumentum in anonymo te reperisse putes, vel, vt aperte loquar, simules. Secus equidem, ais, nulla ratione ratio itineris Priuinae constare poterit; dicit enim anonymus, Priuinam, Morauia eiectum, fluiuium Saurum transisse et in Pannoniam inferiorem venisse, ubi a Ludouico rege nouis ditionibus sit exauctus. Obse-

cro lectores beneuolos, vt anonymi verba, quae supra recitauit, relegere tantisper velint et obseruare, quando Priuina *fluuium Sauum transisse* dicitur; an, dum ad Radbodum primo; an, dum secundo venit? Tam clare hoc anonymus, alias obscurus, istic explicat, vt meditatione longa non indigeat. Iam igitur, si Priuina, dum in Pannoniam inferiorem e Morauia profectus est, Sauum transisse non dicitur; me non mouente, quiuis obseruabit, quale sit hoc argumentum, e Sauro fluuio haustum; an solidum, an liquidum, an commenticium? Quando Priuina propter defensionem in Bulgariam ex inferiore Pannonia fugit; utique Pannoniam inferiorem repetere non potuit, nisi Sauum fluuium transierit. At hunc transmisisse non dicitur, quum a Moymaro, duce Morauorum supra Danubium, eiectus, in Pannoniam inferiorem venit. Vt quid ergo tam aperte, tam audacter anonymi verbis ad firmandas imaginationes tuas abuteris? Est hoc veritati studere, vel fucum velle lectoribus facere? Hic tamen adeo studiosus veritatis anonymum Belae notarium de commentis poeticis accusat.

XXVI. Ne patientia lectorum abutar; subrutis fundamentis Rhodoque superata, leuiora quaedam confectaria hic rursus transfiliam. Ex iis enim, quae iam disputata sunt, ipsi quoque facile vident, quid e. gr. sit respondendum ad hanc auctoris illationem: (a) *Itaque Moymarus hic - illius fuit dux Morauiae, ex qua Priuinam eiectum supra docuimus.* Quid item ad hanc eiusdem ratio-

---

(a) pag. 73.

tiocinationem: (a) *Quid, quod indubium fit, Moimarum earum fuisse partium dominum, quibus subinde praefuit Rastices, Moimari nepos? - Rasticem hunc in Morauia Illyrici, Pannoniis adsita, rerum potitum fuisse, inuictō argumento ostendi supra. Nempe testimonio Nestoris, cui si deferamus; inuictō pariter argumento probabimus, Chozilum, Priuinae filium, in Illyrici Morauia rerum potitum fuisse. Auctor enim ille, qui hoc inuictum argumentum suppeditauit, docet, (b) Slauos, qui sacris Christianis initiati, ad Danubium inter Bulgaros degebant, sub principibus Radislao, Suetepoluco ac Hexilone, seu Chozilo, - doctores fidei petiisse. Quis autem somniauit, hunc exfulem eidem, cui Radislao et Suetepolucus, regioni praefuisse? An non e Francicis scriptoribus indubitatum est, illum in terris, a Ludouico per Pannoniam eius patri concessis, successisse; hunc autem ibidem filium Brazlauonem excepisse? Certa haec sunt e synchronis et vicinis scriptoribus; illud igitur, e Nestore longius petiitum, non tantum non inuictum, sed aperte falsum esse debet.*

XXVII. Epistola, quam Eugenius II. ad quosdam praefules et duces dederat, rursus ad tuam opinionem fulciendam abuteris. Vidisti, retulisti, (c) hanc inscriptam fuisse non tantum *Moymaro*, sed ante hunc etiam *Tutundo*; non tantum ducibus et optimatibus *Morauiae*, sed imprimis *Hunniae*, quae et *Auarica* dicitur. Et tamen, repetitis iterum geminarum epistolarum fragmentis, luculen-

(a) pag. 74.

(b) pag. 6.

(c) pag. 67.

lentum esse contendis, (a) *intra ambitum septem illorum episcopatum Morauiam collocandam esse.* An igitur ex fide harum litterarum intra septem illorum episcopatum ambitum sola *Morauia*, non item *Auaria* stetit? An vtraque haec natio tam angustis limitibus constricta fuit, vt nihil vltra Pannoniam vel Maesiam possederit? Dicit quidem Benedictus, Pannoniae Maesiaque prouincias Auariam atque Morauiam esse, in quibus olim septem episcopatus fuerint; sed non dicit, omnem Auariam et Morauiam intra horum septem episcopatum ambitum comprehensam fuisse. Dicit Eugenius, in Auaria Morauiaque Romanorum et Gepidarum aetate septem episcopatus fuisse; sed non dicit, Auariam et Morauiam vltra Romanorum et Gepidarum terram limites suos non extendisse. Quorsum igitur adeo sollicitè quaeris: (b) *Vbi gentium Romanorum Gepidarumque potestas ex hac parte protensa fuerit?* Quid opus erat ostendere, neque Romanos, neque Gepidas in hodierna Morauia rerum potitos fuisse? Ceterum, non exactè Gepidarum limites designasti. Licet enim Procopius perhibeat, (c) *Gepedes Singidonem ac Sirmium cum vicino tractu occupasse;* per hunc tamen vicinum tractum non solam inferiorem Pannoniam intelligi, patet ex alio scriptoris eiusdem loco, vbi docet, (d) *Gepaedes - olim Sirmium Daciamque omnem obtinuisse.* Quid, quod nec ipse neges, (e) *quosdam Gepidas valles Carpaticas insedisse?* Cur igitur

---

(a) pag. 75.

(b) pag. 76. 77.

(c) De B. V. L. I. C. II.

(d) De B. G. Libr. III. Cap. XXXIII.

(e) pag. 78.

igitur pari iure dici non posset, eosdem etiam in illa Morauiae parte, quam minus proprie Maesiam dici potuisse coniectabam, habitasse; quosdam igitur episcopatus etiam illic exstitisse? Sed, etsi darem tibi, nullum e septem illis episcopatibus ad hodiernam Morauiam extendi posse; iam ne sequeretur, intra septem illorum episcopatum ambitum dumtaxat Morauiam collocandam esse? Tu quidem affirmas. Nam, inquis, (a) *quum e septem episcopatibus quatuor, euerso Boioariorum per Hungaros regno, in Morauia manserint, et hi episcopatus - nusquam extra Pannonias et Maesias sese diffuderint; manifeste conficitur ex allatis trium epistolarum monumentis et cogitur, Morauiam veterem intra ambitum Pannoniarum et Maesiae constrictam fuisse.* Tantopere tu de hac Maesia sollicitus es, vt, quo certius eam in potestate Suateplugi retineas, certam illius in Hungaria possessionem dimittere malis. Huc enim omnia tendunt. Sed caue, ne, si hic illum certa possessione priuaueris; imaginarias non adeptum, ante Hungarorum aduentum, omnibus ditionibus exuas. Quo vero sensu dicis, *quatuor episcopatus, euerso Boioariorum per Hungaros regno, in Morauia mansisse?* Piligrinus, ad quem prouocas, ita differte scribit: (b) *Quorum etiam quatuor, vsquedum Hungari regnum Bauariorum inuaserunt, - in Morauia manserunt.* Illud, *vsquedum*, an significet, etiam post euersam Bauariam, in Morauia quatuor episcopatus mansisse; an, simul ista concidisse, lectores arbitrentur. Sed parum id refert. Si Hungari prius Bauariam eraserunt, deinde hos episcopatus Morauorum

gra-

(a) pag. 79.

(b) pag. 71.

gratia, qui se Hungaris, Bauariam ingressis, duces et socios praeberant, ferius euerterunt; non sequitur, Morauiam etiam in Maesias proprie dictas porrectam fuisse. Nam, sicut illis in Maesia, quo tu primum Hungaros inducis; ita poterant etiam in Pannonia, cuius pars Morauiae nomine veniebat, initio parcere. Vides igitur, non esse tantam vim roburque huius argumenti, quantam iactabas, (a) vt ad illud elidendum necesse sit, *Maesiam in diuersas partes trahere*. Licet Maesiam ibi relinquamus, vbi fuit; illuc tamen Morauiam propter illos quatuor episcopatus inferre non debemus, vt ostendi.

XXVIII. Quum ais, me *Morauiam et ad Sirmium, et in Maesia figere*; vel fallis, vel falleris. Non ad *Sirmium* tuo sensu, sed post *Sirmium*, non definito spatio, *Morauiam* ego fixi, nec tam ciuitatem, quam plagam *Sirmiensem* illic accipiendam esse, supra iam innui. Hoc verum est, me *Maesiam, Hansitzii, anonymi notarii et Turotzii auctoritate suffultum, Granum inter et Morauam fluuios transtulisse*; non tamen ita transtuli, vt loco suo *Maesiam* proprie dictam emouerem. Ais, opinationes meas a Cl. Salagio conuulsas esse. Num ille meas, ego tuas, tu nostras rectius conuulserimus; non nostrum, sed eruditorum lectorum est definire. Scripseram ego, sed solum per coniecturam ita scripseram: (b) *Maesiam proprie dictam occuparunt Serbli sub A. C. 640. Ab his subinde, sicut Maesia superior Ser-*  
D
bilia,

(a) pag. 79.

(b) Hist. Duc. p. 530.

blia, iam Seruia, dici coëpit; ita FORTASSE regionibus trans Danubium et Carpatum sitis, unde hos prodiisse constat, Maesiae nomen adhaesit; quod uidem Serbli Maesiam infederint, qui regiones illas prius incoluerunt. Simili coniectura magnus ille Farlatus in alia quaestione de Dalmatis vsus erat. Attingit ille victoriam, a Ludouico Germanico de Dalmatis anno 856. relatam, de qua Fuldenfis analista sic loquitur: (a) Ludouicus rex, collecto exercitu, per Sorabos iter faciens, ducibusque eorum sibi coniunctis; Dalmatas praelio superat, acceptisque obsidibus, tributarios facit. Inde per Behemanos transiens, nonnullos ex eorum ducibus in deditioem accepit. His relatis, ita vir eruditus commentatur: Sorabos olim dictos fuisse, quos nunc Misnenses vocant, rerum Germanicarum scriptores consentiunt. Sorabi seu Misnenses, infra Saxoniam a meridie positi, Albam accolebant ab regione orientis. Itaque per fines Soraborum Ludouicus exercitum in Dalmatiam traduxit; et quum Dalmatis victis tributum obsidesque imperasset; inde itineribus ad meridiem conuersis, in Bobemiam venit. Huius expeditionis atque itineris ratio nequit conuenire in Dalmatiam nostram Illyricam, quam ab Dalmatis illis immensa terrarum spatia disiungunt. Pluribus in hanc rem et testimoniis, et argumentis adductis, tandem ita suam mentem aperit: Quemadmodum ergo sua erat Illyrico Dalmatia; ita suam Germaniae Dalmatiam attribuere nos cogit tam grauis tamque consentiens tot scriptorum et codicum auctoritas; neque illam aliunde, quam ex nostra Illyrica, quae longe antiquior fuit, genitam quodammodo et  
pro-

---

(a) Illyr. Sacr. T. I. p. 118.

*propagatam fuisse necesse est. Si viro tanto licuit, aliam praeter Illyricam in Germania Dalmatiam defigere; cur mihi non licuit, aliam praeter Illyricam in Morauia Maesiam constituere? Testimoniis ille scriptorum ad id adductus est; nec mihi testimonia patriorum scriptorum defuerunt.*

XXIX. At enim tu carpis anonymum et Turotziū, quorum auctoritate nitor, quod *et temporibus remoti, et tot falsidicarum falsimoniarum comperti sint.* Et tamen eorundem, praecipue Turotzii, testimonium tu quoque nonnumquam adhibes, vbi nimirum opinioni tuae fauent, vt postea videbimus. Aliam ego legem in eorum fide sequenda mihi praestitui. Quoties nempe contraria veteribus non tradunt; toties illorum testimonium recipio, conorque difficultates ex iis motas explicare, quam eorum fidem repudiare. Sic alii quoque scriptores, qui sententiae suae polyporum instar non adhaerent, faciendum semper censuerunt. Hinc illam Turotzii sententiam: (a) *Quintus Leel est nominatus, qui Messianos, scilicet Bobemicos, de partibus Golgatae expulit; non penitus reiicio, sed, quantum fieri potest, cum anonymo vetustiore sic concilio: (b) Confundit quidem hic aliqua Turotzius, quae distinctius anonymus prodit; - satis tamen vel per has tenebras inuit, - Maesiam trans Danubium quoque fuisse. Fortassis eae regiones, quae medio (hoc enim Graecis Mesos est) spatio, Danubium inter et Tibiscum, intercipiebantur, Mesiae, seu Maesiae nomine veniebant. Adiecta particula, fortassis, indicat,*

D 2

hoc

(a) Chron. P. II. C. VII.

(b) Hist. Duc. p. 531.

hoc me non instar sententiae, sed per modum coniecturae proponere. Hanc quidem meam coniecturam RR. Salagius non recipit, aliamque non tam obtrudit, quam innuit in haec verba: (a) *Turotzius Messianos ex partibus Galgotzii expulsos ab Hungaris dicit; regionem Maesiam non dicit. Messianos istos ait Bobemos, quos censeo a Suatoplucio, Bobemiae domino, e Bobemia in Morauiam deductos; et erant fortassis Misniani seu Misnenses; quandoquidem, teste Ditmaro, Suatoplucus senior cum Bobemia Misniam quoque tenuerit. Diuersam ab utroque nostrum viam innuit Mathias Belius, qui laudata Turotzii verba sic exponit: (b) Per Bobemos, quos depulisse dicitur Leel, Morauios intelligi velim, ista regione tunc late dominantes; et fidem Christi - jam pridem amplexos. Certe Messianos ideo vocari, dubium haud est. Hi vero locum hunc Golgathae nomine non alia de causa insigniuerunt; quam ut testarentur, cum se profiteri seruatorem, qui in Golgatha cruci suffixus, morte sua vitam generi humano pepererit. Tribus his opinionibus relatis, nondum exploratum est, quid nomine Messianorum intelligi debeat; an tamen propter hanc aliasque difficultates Turotzius adeo contumeliose tractandus, falsidicarum falsimoniarum nota compungendus ac reiiciendus est?*

XXX. Reiiciendum tu cum anonymo pronuncias; quod non sint potiores fide praesulibus Bavaris coaeuis, sacrorum per Maesiam et Pannoniam praesidibus, prouinciarum suarum nomina situsque et cal-

len-

(a) *Libr. IV. pag. 225.*

(b) *Notit. T. IV. pag. 483.*

*lentibus, et videntibus.* At praesules illi coeui fatisme clare, quid per Maesiam, prouinciam suam, intellexerint, explicuerunt? Non prius ego tuam de hac Maesia sententiam amplectar, quam docueris, metropolim non Sirmiensem, sed Lauriacensem, sacrum imperium in Maesiam Ilyricam exercuisse. Hic vero labor crucem tibi figet. Nam nec illi quidem, qui credunt, auctoritatem metropolitanam Sirmiensem post cladem Attilanam, cecidisse sub A. C. 441. admittunt, eandem totam vel Lauriacum, vel subinde Salisburgum translata esse; sed partim Salonam, partim Lauriacum, partim vel Achridam, vel Aquileiam. Postquam autem RR. Salagius indubitatis testimoniis ostendit, (a) non tantum profanam, sed et sacram Sirmii potestatem post Attilana tempora superstitem fuisse; nec urbem, nec cathedram ante A. C. 580. interiisse; metropolitam Sirmiensem ante hunc annum, praeter alias prouincias, etiam in Maesia superiore ius dixisse; postquam ostendit, (b) *nul- lam ditionis Sirmiensis portionem post Attilanam vastationem Lauriacensi obtigisse*; tuum erit contra docere, ita Lauriacensem metropolim e spoliis Sirmiensibus auctam esse, vt Maesia quoque sacris eius iuribus accesserit. Quomodo vero hoc docebis? Scribit Eugenius II. ad Auariae Morauiaeque praesules ac duces sub. A. C. 824. (c) in eorum prouinciis etiam Romanorum et Gepidarum aetate Lauriacenses antistites in septem episcopatus ius metropolicum exercuisse. Doce, Romanorum et Gepidarum aetate hoc ius metropoli-  
D 3 cum

(a) *Lib. IV. Cap. I. pag. 68.*

(b) *Lib. IV. Cap. II. pag. 170.*

(c) *Ibid. pag. 180.*

cum in Maesiam proprie dictam non vicinum Sirmiensem, qui Romanorum aetate nondum ab Hunnis turbatus fuit, sed remotum Lauriacensem, qui nec aetate, nec sedis dignitate Sirmiensi postponendus est, exercuisse. Scribit Agapitus II. ad Gerardum, Lauriacensem Archiepiscopum, sub A. C. 946. (a) metropolitans huius sedis in Pannoniam vtramque, superiorem et inferiorem, auctoritatem habuisse. Doce, hanc auctoritatem ad Maesiam vsque proprie dictam excurrisse. Nam nisi haec docueris; in cortice dumtaxat haerebis. Tu tamen, hac difficultate generoso saltu superata, concludis denique; (b) *Morauiam longo limite in Seruiam fuisse immissam*; et longo hoc itinere fatigatus, quum *immensum spatium aequor confeceris*; *Maesiam Pannoniamque deseris*, - *ac ad Daciam te conuertis*. (c) *Felix iter!*

XXXI. CAPITE II. *Veteris Morauiae situm in Dacia quaesiturus, ad fidem Auentini recurris: eius auctoritate Venedicas illuc gentes inducis: his illos etiam Praedenecentos adiungis, (d) quos, secessione a Bulgaris facta, nouas ad Morauum fluuium terras occupasse et a fluuio cognomentum Morauorum sibi indidisse, supra memorasti; sed ne verbo quidem probasti. Certe Lucius, in quem onus id probandi reclinaueras, nusquam Praedenecentos vel ad Morauum confedisse, vel inde Morauorum nomen abstulisse, vel eminus innuit. Quare nullo prorsus fundamento nititur praecox ista*

(a) *Ibid.* pag. 185.

(b) pag. 84.

(c) pag. 85

(d) pag. 88.

ista conclusio tua: *Proinde et imperium, et nomen Morauorum eousque prorogarunt.* Ad hanc fulciendam auxilium a Porphyrogenito frustra commendicas. Nam illa descriptione, quam excitas, (a) non ille Morauiae, sed Turciae limites, quos accurate distinguendos esse supra docuimus, discriminat. Quum igitur nullum in ea praesidium inuenire possis; vt, vnde coepit, ibi desineret oratio, rursus Auentinum testem tibi subrogas, qui Morauiae latitudinem ita delineat: (b) *Ab occidente Boemiae continuabatur: orientis ab ora et meridie cum Danubio vsque Pontum fere excurrerat, atque cum Europa terminabatur.* Euanescit Attilae potentia, cum tanta Suatoplugi magnitudine comparata, quae tibi quoque tam suspecta videbatur, vt eam *in medio relinquas.* (c) Ceterum, licet non nihil dubites, an Suatoplugi ditio tam procul ad orientem procurrerit; ad meridiem tamen hunc defectum suppleas, et quod Auentino non incidit, eandem ita dilatas, vt in Seruiam quoque *longo limite immittas.* Nihil igitur Auentino concedis, cui Gundlingius nequiquam fidem haberi posse docet, (d) *vtpote qui et chimaeras subinde obtrudat.* His certe chimaeris adnumerari meretur illa magnitudo Morauiae, quam sine testibus idoneis in Daciam intulistis et *Daciae-Morauiam* effinxistis. In Dacia Slauos quosdam sub aduentum Hungarorum habuisse, nec anonymus Belae notarius, nec vllus alter historicus negat; eos tamen fuisse Morauos, Suatoplugo subiectos, nullus docet.

D 4

XXXII.

(a) pag. 89.

(b) *Libr. IV. Cap. XIII. N. XX.*

(c) pag. 90.

(d) *Hist. impp. pag. 294.*

XXXII. CAPITE III. *Veterem Morauiam terras quoque Iazigum Metanaftarum occupaffe, contendis; quos etfi Slauios fuiſſe non inficiemur; male tamen ex ea re, quam nondum probaueras, ita concludis: (a) Poſtquam Suatoplugus ex Morauia Daciae ultra Granum flumen victricia tuliffet arma; in ius nomenque Morauiicum omnem eam multitudinem tranſiuiſſe, in compertis eſt ponendum: id eſt, vt ego quidem interpretor, caeca fide credendum. Nondum docuiſti, Suatoplugum in Morauia Daciae dominatum fuiſſe; nondum, illum arma victricia circumtuliffe. Ipſam quoque Daciae Morauiam, nulli veterum ſcriptorum cognitam, inter chimaeras referimus. Arma victricia Suatoplugum ultra Granum ex Dacia tuliffe, nuſquam legimus. In ius nomenque Morauiicum Iaziges Metanaſtas tranſiuiſſe, numquam audiuiſimus. Et tamen vis, vt res tam nouas, tam inſolitas, tam inauditas ſine teſtimonio veterum ſcriptorum in comperto ponamus.*

XXXIII. Sed enim ratiocinio defectum monumentorum hic farcire conaris. Audiamus. *Nec enim, inquis, (b) ſupra infraque Marabeniſibus omnia tenentibus et victorias (iterum victorias) e Dacia ad Vagum proferentibus, ſola haec terrarum portio dominii eorum expers eſſe potuit. Huc igitur tota vis argumenti redit; Daciam Suatoplugus in poteſtate ſua habuit. Hoc ſupra iure negatum eſt. E Dacia victorias ad Vagum uſque protulit. Hoc ne verbo quidem a te probatum eſt. Quid igitur? Partibus ex puris ſequitur nihil*

(a) pag. 97.

(b) pag. 99.

hil atque negatis. Et ratiocinium, et dominium in nihilo fundatum est. Talibus quidem dominiis Suatoplugus nec ad fungi magnitudinem excreſcet. Non tamen oblitus promiſſorum, quae mox in limine de proferendis *indubitatis ſcriptorum monumentis* feceras, Auentinum iterum producis. Quum hic auctor apud te iam clauſicus euaiſſe videatur, et ſi iam illum paullo ſupra laudauerim, vt tamen melius noſcatur, e Schüzio characterem illius nonnihil vberius adumbrabo. *Auentinus Ioannes*, inquit ille, (a) - ſcriptor ſeculi XVI. - magnum equidem ab annalibus Boicis nomen apud non paucos obtinuit; ſed apud eos maximè, quibus aut bebetior in hiſtoricis acies, aut alienior a rebus orthodoxis eſt animus, aut diſtionis nitor atque licentia prae veritate probatur. - Eum non ſolum modicae auctoritatis ſcriptorem, qui pleraque ſine teſtibus ac tabulis etiam de rebus patriis declamarit, ſed et inſignem qua fabulatorem, qua falſarium et calumniatorem fuiſſe, patentiſſimis ex argumentis demonſtrant tum ipſimet ſcriptores Boici, etc. Nunc tu tam antiquum ſeculi XVI. ſcriptorem, tot encomiis inſignem, in auxilium vocas, vt eius teſtimonio ſicut Daciae prius, ita nunc Iazigiae dominum Suatoplugum creare poſſis. Ex his igitur illius verbis: (b) *Vgri - vtramque Daciam citra et ultra Tibiſcum, quatenus a Grano flumine cum Sueuo monte Danubioque amne ad Pontum Euxinum excurrit, velut nimbus, inundant; ſolidiſſime hunc in modum ratiocinaris: (c) Quum ſcriptor hic, quamquam multa praepoſtere* (Hoc eſt

D 5

elo-

(a) *Comm. Critic. pag. 85. 86.*(b) *Annal. Boic. L. IV.*(c) *pag. 104.*

elogium ad maiorem ei fidem conciliandam interiectum) scribat; totam hanc belli molem in Morauia confectam, et vna procurfiones, ab Hungaris a Dacia vtraque ad Granum vsque annem factas, adiungat, vtique iuri Marabensium totum illum terrarum tractum vindicat. Maior hic vindex magnitudinis Hungarorum, quam Marabensium, esse videtur; neque propterea, quod Hungari spatium inter Granum et pontum Euxinum inundauerint, toto hoc spatio Morauiam fuisse comprehensam, infertur.

XXXIV. Alterius igitur scriptoris, eruditissimi nempe Timonis, *indubitatum monumentum*, excitas; illius, inquam, Timonis, in prouincia Trenchiniensi nati, de quo secius, illi mihiq; familiariter notus, ab aliis aliquando fuit interrogatus, an iam etiam Iouem inter Slauos retulerit. Sed hoc ioco. Sic etiam idem vir eruditus iocari visus est, quum scripsit: (a) *Receperunt itaque Hungaros hospitio Sclavi. - - sine illis frigent fora; argent curiae.* Rei huius ob iter meminisse libuit occasione tuae hic subiectae disputationis, vt mediam inter duas extremas viam tibi suaderem. Nam Salagijs quidem aliquos Slaus eripit, qui tamen erant; tu quosdam iisdem adscribis, qui non erant. *Medio tutissimus ibis.* Ceterum Timon, cuius memoriam veneror, parum aut nihil tibi patrocinator; immo potius in pluribus aduersatur. Afferis tu, (b) *Venedicas gentes in Dacia, seu exactis, seu aliorsum inde translatis Auaribus, habuisse;* parum sollicitus, quocumque deueni-

---

(a) *Imag. A. H. L. III. C. III.*

(b) pag. 88.

rint, modo Slauis tuis in Dacia locum vacuum reliquerint. Timon contra de his ita scribit: (a) *De excidio denique Hunnorum et Auarorum tacent Graeci, homines et viciniore Daciae, et suopte ingenio loquaciores. Immo vero tantum abest, ut ab Hungaris Auari occidione occisi fuerint, ut ab iis appellationem Auarorum acceperint.* Deinde capite II. ad quod prouocas, (b) *Hunnoauaros Hungarorum socios vocat, de quibus paullo post ita loquitur: (c) Quum Arnulphus significasset Hungaris, se in procinctu stare; illi a partibus Tibisci; ipse vero a partibus Germaniae, - in prouincias Zuentibaldi irrupit. Sicut igitur Germaniae partes, ita nec Tibisci partes, e quibus in Zuentibaldi prouincias irruptio facta fuit, eius ditio fuerant. Narrata deinde Suatoplugi clade, subiicit: (d) *Eo anno Hungari non constituerunt in regione Sclauorum, seu Iazigum Metanastarum, sed confectis Arnulphi mandatis, in Daciam reuerterunt. Habemus igitur indubitatum testem (dubio procul) Eliciat aequus lector, si potest, hanc confessionem e Timonis oratione, qua dicit Hungaros in regione Sclauorum, siue Iazigum Metanastarum, non constitisse. Tibi quidem omnes Slaui videntur fuisse Morau; sed Timon hos Slauos non Morauos, verum Iaziges Metanastas vocat. Vides igitur, nec Timonem, nec vllum alium scriptorem innuere, veterem Morauiam terras quoque Iazigum Metanastarum occupasse, quod capite III. contendebas.**

XXXV.

(a) *Imag. A. H. pag. m. 320.*(b) *Ibid. pag. 322.*(c) *Ibid. pag. 323.*(d) *Ibid. pag. 325.*

XXXV. CAPITE IV. statuis, (a) *veterem Morauiam a Grano ad fines hodiernae Moraviae usque, qua Bobemiam tangunt, pertinuisse*. Quisquis argumentum huius capituli legerit; mirabitur, quaestione, de qua vix vllus dubitauerit, hic agitari. Sed enim tua hic sententia non communis, sed prorsus singularis est. Quum enim alii hanc Suatoplugi ditionem auitam; tu nouam belloque sub exitum seculi IX. partam esse contendis. Ostensurus igitur, hic ante Suatoplugum non Morauiam, sed Bohemiam fuisse, primum argumentum rursus a notatione nominis, loco rhetorico tibi valde familiari, ceteris admodum debili, petis. *Ipse fluvius Granus, inquis, vetustissimo nomine suo, quod limitem sonat, duarum se Slaucarum gentium, hinc quidem Bohemorum, inde Iazigum Sarmatarum disternitorem fuisse, sic satis aperte prodit*. Quid? Morau non erant peraeque Slaui? Si Bohemis igitur Morauos, vt debes, sufficias; non peraeque Granus duas gentes Slaucas disternit? Viden' infirmitatem argumenti tui; sed tu soles a debilibus incipere; non tamen in firmioribus, sed iterum in debilibus desinere. Nec hoc est vitium oratoris, sed orationis, cuius scopus argumenta firmiora suppeditare non potest. Absit igitur, vt imperitiam artis, quam tot annos summa cum laude profiteris, ego tibi velim obiecare. Omnis defectus se tenet ex parte materiae. Numquam vllus orator, etiam si diligenter omnes locos thetoricos excuserit, omnes argumentationum species in aciem eduxerit, omnes tropes et figuras verborum et sententiarum coacernauerit, eloquentia sua mihi per-

persuadebit, e. gr. pulices et cimices exoptandos, fouendos, nec unquam persequendos et laedendos esse. Nulla facundia par est, ad intellectum in eiusmodi materiis conuincendum voluntatemque permouendam, vt optime nosti. Hoc igitur vnum exponi tibi potest, quod causam desperatam confidentius, quam par erat, assumeris. Porro numerum istum hoc epiphonemate concludis: (a) *Ad eo omnibus locis, quae signaui, Bohemiam diffusam fuisse, iam Constantinus, illi aeuo vicinior, docuit.* Constantinus et Dobnerus synonyma non sunt. Prius erat ostendendum, ita Constantinum sensisse, sicut Dobnerus exposuit. Quod quia non praestitisti; poteras illud epiphonema verbis aliis exprimere.

XXXVI. Ex Eginhardo vis ostendere, Pannoniae superiori Bohemos appositos fuisse, quod post bellum, Auaribus indictum, Carolus aliquam copiarum partem (b) *per Boemos via, qua venerant, reuerti praeceperit. Sic - Saxones - per Bohemos, vt iussim erat, domum regressi sunt.* Certe nemo dubitat, ex opposita Pannoniae Danubii ripa copias in Saxoniam *per Bohemos* iter rectissimum habuisse. At non dicuntur per Morauiam transiisse? Nec debebant. Nec etiam, si pars tantum Moraviae radenda, non item tota, sicut Bohemia, transmittenda fuit, Eginhardus perinde per Morauiam, sicut per Bohemiam, Saxones domum regressos scribere poterat. Alter Eginhardi locus nihilo firmiter argumentum tibi supeditat. An non enim Auares, ad ripam Danubii

---

(a) pag. 106.

(b) pag. 107.

bii tantisper in Pannonia superiore relictos, Bohemani poterant infestare, quin Marahenses idem vellent facere?

XXXVII. Rursus ad Auentinum, classicum auctorem tuum, recurris, quo sicut antiquior, ita fide dignior testis est Eginhardus synchronus, qui perhibet, *Auares, victoriae Caroli M. superstites, non ad terras Iazigum, vt tu scribis, (a) submotos fuisse; sed, (b) trans Tizam fluum fugatos esse.* Iam igitur haec ratiocinatio tua: *In cubabant igitur ad Granum fluum eis Bobemani, ac, quod suapte consequitur, orae Bobemicae ea tempestate a Grano ad hodiernam vsque Bobemiam continuabantur; nimium, et plus, quam velis, probabit; oras nimirum Bohemicas ea tempestate non tantum ad Granum, sed etiam vltra Tibiscum fluum porrectas fuisse.* Heus! cito vela contrahere. Vix enim aliquid in terra Iazigum Metanastarum Suatoplugo possidendum sequenti seculo manebit; vel certe hanc a Bohemis ditionem eius armis victricibus fuisse vindicatam, *indubitatis, vt soles, scriptorum monumentis docere debebis.* Video te summas in angustias redactum esse, quum etiam ab anonymo Belae notario, quem alias odio Vatiniano persequeris, auxilium emendes. At at, si stilum eius noscis; scire debes, ab eo Morauos etiam Bohemos appellari. Quod non tantum illi, sed Turotzio quoque cum aliis patriae scriptoribus familiare fuit. Turotzius certe tam illos, quos *de partibus Gulgatae Lehelius*

ex.

(a) pag. 108.

(b) Ad. A. C. 796.

expulit, *Bobemicos* vocat, (a) quos tamen aetate Suatoplugi Morauos fuisse, neque tu negas; quam Ottonem, Morauiae ducem, a S. Ladislao contra Salamonem euocatum, *ducem Bobemorum* appellat. (b) Nihil igitur anonymus, etiamsi iam illi te conciliatum ostentes, tibi prodesse potest. Quare, nec istius, nec Auentini *vetustissimi* fide videmus, *Bobemiam ad flumen Granum olim pertinuisse*. Si vero ratiocinium, ex aliis antiquioribus tua forma deductum, attendamus; videmus, Bohemiam ad Tibiscum vsque pertinuisse. Sed hoc tibi non videtur placere.

XXXVIII. *His, ais, (c) ita digestis ( id est, euerfis ) quem in modum haec omnia in ius Suatoplugi et nomen Moraicum coaluerint, videndum est. Hic tandem producis indubitatum scriptorum, Bauariae scilicet episcoporum, monumentum, quo docere vis, id Suatoplugum non habuisse, quod habuit. Eia! paradoxum hoc euoluamus. Verba Bauariae praesulum in litteris, ad Ioannem IX. sub A. C. 899. datis, ista sunt: (d) Antecessor vester, Zwentibaldo duce impetrante, Wichingum consecrauit episcopum, et nequaquam in illum antiquum Patauiensem episcopatum eum transmisit; sed in quamdam neophytam gentem, quam ipse dux domuit bello, et ex paganis Christianos esse potrauit. De veritate huius testimonii nullum est dubium; neque tamen inde sequitur, quod tu vis, oras, nempe, Nitriensibus circumfusas, praeualidum ar-*  
*morum*

(a) Chr. P. II. Cap. VII.

(b) Ibid. Cap. LII.

(c) pag. 109.

(d) Ap. Salag. L. IV pag. 39. 431.

*morum Suatoplugum in suam ditionem bello rede-*  
*gisse, vel, vt infra subiicis, oras Nitrienses armis*  
*a Suatoplugo in ius suum vindicatas esse; sed po-*  
*tius in ius suum, quod in illas prius habuit,*  
*reuocatas esse. Vt meae huius explicationis ve-*  
*ritatem exemplo domestico dilucidemus; age, tan-*  
*tisper oculos in S. Stephanum conice. Nonne*  
*de hoc dici potest, quod episcopi Bauariae de*  
*Suatoplugo dixerunt? Nonne S. Stephanus neo-*  
*phytam illam gentem, quae seu Cupae, seu Gy-*  
*ulae, seu serius Achtomi partes sequebatur, bello*  
*domuit et ex paganis Christianos esse patrauit? An*  
*iam istinc rite sequitur, hanc gentem prius S.*  
*Stephani iuribus obnoxiam non fuisse? potesta-*  
*tem et auctoritatem in has oras illum antea non*  
*habuisse? primum illum eas oras, quibus Achto-*  
*mus, Gyula, Cupa praesuerant, in suam ditio-*  
*nem bello redegisse? Viden', quam infirmum sit*  
*illud quoque tuum argumentum, quod censebas*  
*esse firmissimum. Nusquam dicunt episcopi Baua-*  
*riae, quod tu dicis, (a) alieni iuris antea Nitri-*  
*enses oras existitisse; sed, ab eodem illo duce*  
*bello domitas esse. Causam belli huius episcopi*  
*laudati differte non exprimunt; quia tamen ista*  
*duo coniungunt: domuit bello et ex paganis Chri-*  
*stianos esse patrauit; eandem fuisse satis innuunt,*  
*quam Turotzius bello Transiluanico his verbis*  
*assignat: (b) Hoc autem ideo fecit, quia saepissime*  
*admonitus a beato rege Stephano, nec ad fidem*  
*Christi conuersus, nec ab inferenda Hungariae in-*  
*iuria conqueuit. Hoc sane maiore cum funda-*  
*mento dicitur, quam, oras Nitrienses Bobemici*  
*iuris*

(a) pag. 110.

(b) Chr. P. II. C. LXXXIX.

*iuris* antea fuisse. Quod enim vestigium in tota Bohemiae historia tam late producti iuris exstat? An ociosis oculis tantam ditionis suae diminutionem adspexisset Boriuorius, qui supremum inter minores alios Bohemiae duces imperium tunc exercebat? An, si tantam a Suatoplugo iacturam accepisset, eam, quae prius inter eos vigeat, amicitiam retinisset? Sola profecto coniectura tua non sufficit, vt arbitrio tuo prouincias inter principes distribuere possis. Vbi historia nullum fundamentum praebet; quo iure huic adimere ditionem, quam alteri tribuas, audes?

XXXIX. Iudicii pertinaciam esse pestem historiae, dudum sapientes agnouerunt. Si quis enim obstinate praeiudicatis opinionibus adhaereat; apertissimis veterum scriptorum testimoniis vim inferre, quam de sua sententia decedere mauult. Quod potest esse manifestius testimonium ad nouitiam opinionem de Morauiae situ iugulandam, quam istud annalium Fuldensium? (a) *Ludovicus rex, in mense Augusto ultra Danubium cum manu valida profectus, Rasticem in quadam ciuitate, quae lingua gentis illius Douina, id est, puella dicitur, obsedit. At ille, cum regis copiis congregari non audens, atque locum effugiendi sibi denegatum esse cernens, obsides, quales et quantos rex praecepit, necessitate coactus, dedit: insuper cum vniuersis optimatibus suis, fidem se cunctis diebus regi seruatuum esse, iuramento firmavit, licet illud minime seruauerit.* Quum eruditi hactenus per Douinam Diuinum, ad confluentem Moruae Danubii que situm, intellexerint; dubitari non potest, Rasticem,

E

cem,

(a) Ad A. C. 864.

cem, Marahensium ducem, hanc plagam obtinuiffe; iam igitur ante Suatoplugum, Rasticeis successorem, haec loca iuris Marahanici fuisse. Quid ad haec, vir erudite? *Loco hoc*, inquis, (a) *annalium Fuldensium mendum manifestum cubat, vel certe Douina et Diuinum diuersa sunt.* Cur vero cubat? Quicquid tu dicas, quicquid praetexas; alia causa non subest, quam quod opinionem tuam de Morauiae situ penitus conuellat. Si quando veteres scriptores sibi contraria tradere videantur; illos inter se conciliare critici, qui studium veritatis indagandae sibi propositum habent, omni modo conantur; nec eos erroris condemnant, nisi iam omnis ratio conciliandi deficiat. Quum tu *manifestum mendum* in hoc annalium Fuldensium loco te deprehendisse iactes; videamus, quibus rationibus adductus et coactus sis ad illos deserendos errorisque manifesti condemnandos. *Annales*, inquis, *Bertiniani ad eundem annum haec habent:* „ Ludouicus, rex Germaniae, „ hostiliter obuiam Bulgarorum cagano, qui Christianum se fieri velle promiserat, pergit; inde „ ad componendam Vinidorum marcam, si se prosperari viderit, perrecturus. „ *Chronicon autem Herueldense Hildesheimenseque rem totam breuissime sic absoluit:* „ Ludouicus rex Ratzidum, regem „ Marahensium, sibi subiugauit. „ Iam, quum ex legibus sanae criticae pluribus et aequae uelut testibus plus sit credendum, quam uni; quia posteriorum chronicorum auctores idem prorsus breuiter adfirmant, quod uerius annalista Fuldensis narrat; annalium potius Bertinianorum, qui nihil ad eundem annum de Rastice, siue Ratzido subi-

iu-

(a) pag. 110.

iugato meminerunt, quam Fuldensium fides in dubium effret reuocanda; si nulla ratio posset iniri, hos cum illis conciliandi. Sed tibi has criticae leges inuertere visum est. Errat auctor annalium Fuldensium, licet duos alios sibi consentientes habeat. Corrigi debet ad fidem annalium Bertinianorum, qui de *Vinidorum marca*, non de *Danubio*, vel *Douina* loquuntur. In hac marca, *Carinthiae vicina*, Ratislaus ille victus est. At, mi bone, Bertinianus annalista hoc non perhibet. Ille nec affirmat, Ludouicum in *Marcam Vinidorum* reipsa penetrasse, nec Ratislaum ibi rerum potitum fuisse, nec bello petium, nedum victum esse. Haec omnia te solum, non annalistas Bertinianum, non Fuldensium, non vllum alium, auctorem habent. Fuldensis differte habet, *ultra Danubium* Douinae Rasticem obsessum esse. Cur a tam claro testimonio recedis? *Est enim*, inquis, (a) *credibili maius, Ratislaum, his annis potentia et viribus praeualidum, vno Ludouici per Danubium transitu ita fuisse perculsum, vt eius copiis congregari non auderet.* Quomodo vel hoc, vel, quae leuiores subiicis, credibili maiora tibi videntur, quando Ludouicus contra Rasticem, quem *viribus praeualidum* sine teste iactas, *cum manu valida profectus* dicitur? Vana haec effugia sunt; nec vllam annales Bertiniani Fuldensium fidem reiiciendi necessitatem imponunt. An enim Ludouicus non potuit, Ratislao mature subacto, copias suas contra Bulgaros ultra promouere? An non potuit alium exercitum huc, illuc alium mittere? An non potuit, rebus in Bulgaria compositis, per *Vinidorum marcam* reditum adornare? Ita Cl. Praeius dif-

(a) pag. 151.

sentientes scriptorum opiniones de bello, quod eodem anno 793. Carolus M. et cum Auaribus, et cum Saxonibus gessisse legitur, conciliat, nempe dicendo, (a) *Carolus - exercitus partem, cum quo in Pannoniam properabat, aduersus Saxones, quo praesens periculum vocabat, rapuisse, partem sub ducum auspicio contra Auares misisse. Ita et Hunniam vastatam, et in Saxones mouisse Carolus, quorum utrumque annales illorum temporum adstruunt, verum erit.* Hoc exemplo tibi sit, quomodo dissentientes ad speciem auctores conciliari, neque statim propter aliquas difficultates repudiari debeant. At tu, relicto Fuldensium annualium claro testimonio, Bertinianos obscuriores eligis, vt in tenebris et turbido piscari facilius possis.

XL. Sed accendamus lumen ex chronologia, quo spissas has tenebras felicius dissipemus. Ais, in marca Vinidorum, Carintbiae vicina, Ratislaum rerum potitum fuisse, - ac id annalibus Francofuldiensibus roborauit, qui Ratislaum ad an. 810. regem Vinidorum vocant. Itane vero? Nepos igitur auum in regno praeceffit? Nosti, Moymarum Morauis adhuc praesuisse post annum 824. sub quem Eugenius II. litteras, a te quoque relatas, (b) dedit? Et iam Ratislaus, eius nepos, oculis orbatus anno 870. rerum potitus est anno 810. Quis eum, vix natum, regem creauit? Au ante Moymarum, auum suum, regis titulum vsurpauit? An, quod auus ipse non habuit, nepoti dare potuit? -  
Sed

(a) *Annal. Vet. pag. 275.*

(b) *pag. 67.*

Sed, inquires, Ratislaus iste non Moratorum, sed Vinidorum, rex erat. Quorum autem Vinidorum? Quantiscumque *viribus praeualidum* illum facias; an tamen tantis valere potuit, vt Carolo M. qui rerum adhuc potiebatur anno 810. Vinidorum marcam, Carinthiae vicinam, eripuerit? An non etiam Ludouicus, Caroli M. filius, eodem tempore, quo Meymarus in Morauia dominabatur, omnes illas plagas, in quas tu Morauos intrudere conaris, obtinuit? Audi rursus Lucium, et quidem eo loco differentem, ad quem alias pro-uocasti: (a) *Sicuti limitem orientalem Francici imperii, Baldricum Foro Iulii in potestate habuisse patet, ita eundem Pannoniam inferiorem et Carantanorum regionem cum Croatia rexisse, ex supra allatis constat: ita vt quidquid Hungarici deinde regni cis Danubium fuerit, cum Carintia, Istria et Foro-Iulio, in potestate haberet. An non etiam Ludouicus Germanicus, Ludouici Pii filius, easdem plagas in sua potestate habuit? An enim, si nullum in easdem ius obtinuit, praestare rex, vt anonymus de conu. Carant. loquitur, (b) Priuinae aliquam inferioris Pannoniae in beneficium partem circa fluuium, qui dicitur Sana, potuit? Priuinae caeso sub an. 865. successit in ditioe paterna Hezilo filius; huic iterum Brazlauo filius, quem sub aduentum Hungarorum superstitem fuisse, patet ex hoc annalistae Fuldensis loco: (c) Imperator Pannoniam cum vrbe Paludarum tuendam Braxlauoni, duci suo, in id tempus commendauit. Tuus igitur Ratislaus nullum in hanc marcam, Carin-*

(a) *Lib. I. Cap. XV.*(b) *Ap. Salag. Lib. IV. N. XVIII.*(c) *Ad A. C. 895. vel 896.*

*thiae vicinam*, aditum inuenire potuit. Quapropter alios illi Vinidos quaere; nec illum cum Rastice, quem annalista Fuldenis *ultra Danubium* ditionem habuisse perhibet, confunde. Sed quicquid ego dicam, acquiescere tu non vis. *Vel locus*, inquis, (a) *annalium Fuldensium sublestus est; vel certe sub Ratislao latet Suatoplucus*. Itane vero Suatoplucus? Suatoplucus, inquam, qui post Rasticem in Monasterium detrusum anno 870. Morauis praeesse coepit? Hic sex annis prius, quam Morauis praefuisset, a Ludouico rege bello petitus fuit? Bellum enim illud, quo haec acta sunt, etiam annalista Bertinianus figit ad annum 864. Vide, quomodo chronologia tenebras dissipet. Spero quidem, etiam tibi somnia male concepti systematis excutiet. Multum iuuabit, ad somnium istud, si nondum in letargum abiit, excutiendum, meminisse, priusquam hic dominatum Suatoplucus occupet, secundum systema tuum, (b) *ex Moravia Daciae ultra Granum flumen illi visiricia arma circumferenda esse*. Dominatum igitur adeptus anno 870. nescio, quibus alis sit vsurus, vt tantum terrarum spatium victoriis emetiatur ad annum vsque 864. Video tamen, non auium more volandum, sed cancrorum istar *retro* serpendum eidem esse; si nondum princeps ante annum 870. principatum gerere debeat iam anno 864. siue iam ad Danubium, siue tantum in marca Vinidorum obtinendus ille sit.

XLI. Postquam quacumque demum arte Suatoplucus spatium illud emensus est; expediendum  
fufci-

(a) pag III.

(b) pag. 97.

fuscipis, (a) quomodo ulteriore Bobemia, quam nempe marchionatus Moraviae hodie occupat, sit potuitus. Hac in re nec Regino, nec annalista Metensis, synchroni scriptores, nec his suppare, Sigebertus Gemblacensis et Otto Frisingensis, tibi placent. Cur vero hi satisfacere tibi non possunt? Quia nempe scribunt, Arnulfum regem concessisse Zuentibolbo, Marahensium Sclauorum regi, ducatum Bobemensium. Pulchrius nimirum et gloriosius est, Bohemiam armis et vi rapere, quam concessione legitimi principis obtinere. Haec igitur etiam gloria Suatoplugo vindicari debet. Hanc, inquis, (b) accessionem ducatus Bobemiae non ita Arnulfo referendam habuit, quasi armis eam non emeruisset. Nihil minus, quam libera haec Arnulfi liberalitas fuit. Ut antea Pannoniam, ita deinde ducatus quosdam Bobemiae, non gratiae, sed potentiae Suatoplugi concessit. Atqui scriptores veteres illud affirmant. Parum id refert, regeris, et rursus ad fragmentum annalium Francofuldensium recurris. Iam semel ab hoc fragmento vulnus accepisti; caue, ne rursus vel nouum infligatur, vel cicatrix refricetur. Crede potius pluribus testibus, quam vni. Frustra sum. Hic vnus magis gloriae Suatoplugi fauet; hic proinde scriptoribus synchronis et supparibus, quantumuis pluribus, praefereendus est. Hic autem ad annum 895. refert ista: *Mediante mense Iulio, habitum est vrbe Ratisbona generale conuentum. Ibi de Sclauonia omnes duces Bohemanicorum, quos Zuentibaldus dux a consortio et potestate Boioaricae gentis per vim*

(a) pag. 112.

(b) pag. 115.

*dudum diuellendo detraxerat.* Nosti, iam ante hunc annum obiisse Suatoplugum, cui testes, a te laudati, Bohemiae ducatum ab Arnulfo concessum esse perhibent A. C. 890. Docuisti subinde, (a) *Bobemiam in plures ducatus diuisam fuisse.* Tum etiam ostendisti, (b) *Suatoplugum, ab Arnulfo ducatu Bohemiae auctum, - numquam suprema auctoritate ad clauum Bohemiae sedisse.* His igitur a te concessis, nullam ego necessitatem video, tot veterum scriptorum testimonium in dubium vocandi, solique fragmento Francofuldensium annalium adhaerendi. Nam, si concesseris, quod tot testes exposcunt, aliquem Bohemiae ducatum ab Arnulfo rege Suatoplugo concessum esse A. C. 890. quid vetat dicere, post hunc annum a Suatoplugo plures Bohemiae ducatus per vim occupatos esse? Certe Francofuldiensis annalista de pluribus *Bobemanicis* ducibus loquitur, quos Suatoplugus *a potestate Boioaricae gentis per vim auulserit.* Non igitur tam temere testimonium tot veterum scriptorum in dubium dehinc voca, qui sua vetustate numeroque facile tuum vnum testem inumbrarent; etiamsi nulla ratio hunc cum illis conciliandi superesset. Salua certe Suatoplugi gloria manebit, quam ab armorum violentia repetis, etiamsi hanc conciliationem receperis.

XLII. In adnotatione non negas, (c) *Suidam tradere, Morauiam a fluuio Moraua appellari; sed dubitas, an non potius a Maro fluuio Transilvaniae vetustissimo, aut Morabo, - fluuio Bulgariae.*

(a) pag. 113.

(b) pag. 114.

(c) pag. 116.

*riae.* Nullum est dubium, Suidam neutrum intelligere. Nam, vt supra vidimus, ita Suidas loquitur: *Parsque eorum deinde Bobemiam occupauit, et regionem proximam, quam a Marauaba flumine Marauaniam appellant.* Credo, te neutrum, seu Transilvaniae, seu Bulgariae fluuium, proximum Bohemiae facturum. Tam apertum Suidae testimonium ita tibi displicet, vt malis Marahanos a voce *Marba*, quae Hungaris Slauisque pecus significat, deriuare. Fortasse non magnam hac hariolatione gratiam a Morauis inibis, quos adeo vilis etymi facile pudebit. Quum a notatione nominis tam libenter et frequenter argumenta sumas; ad etymon Morauici nominis eliciendum, suggero tibi *Moraciam*, fluuium Dalmatiae nobilissimum, (a) qui plus ad stabiliendum systema tuum, quam *Marba*, pecus, quod tuae soli Morauiae non est affixum, seruiet. Nos interim, antiquo situ Morauiae contenti, sicut a *Maro Marabenses*, ita *Morauos* a *Moraua* fluuio, qui cum *Maro* veterum idem est, appellamus. Nec illud auctorum silentium, quod obiicis, (b) moramur. Hoc enim magis tuam Maesiam ferit, quae *Marahania* vel *Morauia* nec a Graecis, nec a Latinis scriptoribus vnumquam appellata fuit. Contra vero *Maruanorum* in his plagis iam ante Suateplugi tempora hunc in modum Eginhardus meminit: (c) *In quo conuentu omnium orientalium Slauorum, hoc est Abotritorum, Soraborum, Vilsorum, Bobemianorum, Maruanorum, Praedecentorum et in Pannonia residentium Auarum legationes cum muneribus*

(a) *V. Farlat. T. II. pag. 139.*(b) *pag. 117.*(c) *Ad. A. C. 822.*

*bus ad se missis excepit.* Quia tu haec ad illos orientales Slauos, qui in Illyrico et Maesia Daciaque debebant, refers; Bohemos etiam in Illyriam et Maesiam Daciamque pari iure transfers. Vel igitur fieri debes, propterea tantum hos orientales Slauos dici, quod ad orientem, ratione habitae Germaniae, fuerint, vel certe Bohemiam quoque, quae minus, quam Morauia, versus orientem sita fuit, in Illyrico, Maesia vel Dacia colloces, oportet. Quae non monstra noui systematis geographia parturit?

XLIII. Tu tamen in hac ita tibi places, vt audacter affirmes, *dubio procul esse, nomen Marabensium ex Maesia in Daciam, inde per terras Iaxigum Metanastarum ad oras Nitrienses, atque ultra Morauiam ad bodiernae Bohemiae limites prolatum fuisse.* Neue huius rei nos obliuio capiat; idem iterum his verbis inculcas: (a) *Itaque regnum Suatoplugi primitus extra has terras, hoc est, in Iaxigia, Dacia, Maesia Pannoniaque stetit, quod ceteroquin innumeris coeuorum testium monumentis firmauimus.* Credo, lectores risum non tenere, quum gloriosam hanc anacephalaeosim legunt, memores, innumera quidem illa coeuorum testium monumenta toties promissa, nusquam tamen producta, vel certe perperam applicata fuisse. Non minus ridere possunt, quum legunt, *Moroawam* illam, ad quam Henricus IV. octo tunc annos natus, cum Andrea, Hungariae rege, contractum nuptialem inter suam sororem eiusque filium Salomonem celebraturus, cum matre descenderat, in Maesiam a te remoueri. Quasi nempe hiberno  
tem-

(a) pag. 119.

tempore tenellus pufio tam longinquum iter fufcipere voluiffet, nec ad Morauam Hungariae facilius, quam ad Morauam Bulgariae, cum Andrea colloqui potuiffet. At, inquires, hic nominatur *confinium Bulgarorum*; atqui nominatur peraeque *confinium Hungarorum*, qui certe hoc tempore limites suos ad Morauam Bulgariae porrectos non habebant. Adiuncta rerum te mouere debebant, non Maefiae Bulgaros hic intelligi. Sed tu, medulla neglecta, faepius in cortice haeres, argumentisque firmioribus deftitutus, in fine rurfus argumentum a notatione nominis detortum, vrges: (a) *Nec incunabula nominis Morauici alibi, quam ibi defigenda.* Ac iterum: (b) *Quare, qua feſe Morauia vetus exporrexit; nullus amplius eſt dubio locus: ſed, nec vbi locorum ſuum Morauia participauerit nomen, ambigendum.* Io triumphe! victori, lectores, applaudite!

XLIV. LIBRO II. *De primo Hungarorum in magnam Morauiam ingreſſu tractaturus, CAPITE I.* non tantum anonymi, *Hungaros per Vngenſes terras in Morauiam ducentis*, auctoritatem reiicis, ſed omnes alios, quotquot eius fidem adhuc ſequuti ſumus, ad ictum deſtinas; poſtquam nempe de ſcriptoribus omnibus, quorum nullus ante te Morauia Daciaque quaefiuit, nedum inuenit, magnifico verborum, ſed tantum verborum, apparatu triumphaffes. Dum aliam hanc praeliorum et triumphorum aream deſcribis, quo generoſius hoc certamen ineas, dulcem prioris triumphii memoriam

---

(a) pag. 120.

(b) pag. 121.

riam his iterum verbis moderatissimis refricas: (a) *Situm et latissimis septem terminis magnae Moraviae molem et formidandam finitimis eius potentiam fuisse, nemo est, credo equidem, quin ex his, quae diximus, perfacile cognoscat. Nemo, nemo: perge porro: iam saturi sumus triumpho tuo. Post dignum tibi plausum ab omnibus spectatoribus datum, ad lamentationes descendis: grauius ingemiscis et doles, (b) facinora Hungarorum, aequalium domesticorum scriptorum penuria et posteriorum quorundam aut ignoratione temporum, aut fingendi libidine, pleraque aut in occulto abdita mansisse, aut densis fabellarum integumentis circumtecta fuisse. Tu tamen in tanta domesticorum scriptorum penuria vetustissimum anonymum Belae notarium nobis eripere conaris. Illa vero fingendi libido, quam accusas, an non tibi quoque conueniat, ex iis, quae libro I. de tua Moravia disputauimus, alii definient. Primos hic ictus in posteriores scriptores vibras; quia vero me nondum inter hos nominas, tantisper quiescam. Erit tempus, quum ad rauim vsque me nominabis ac ad singulare certamen prouocabis; tunc ne dubita, me sistam. Mibi, tuum hic consilium pandis, (c) mibi, historiae patriae eius temporis, quod scribere aggredior, ingenium suppeditanti, ne quid ex fabellis traberem, annales vicinarum nobis gentium in subsidium vocandi erant. Omnia magnifice. Plures hoc iam antea tentauimus: annales vicinarum nobis gentium in subsidium vocauimus: neque tibi, si plura, quam nos, inueneris, inuidebimus. Quod tibi*

bi

(a) pag. 123.

(b) pag. 124.

(c) pag. 125.

bi coram dixeram; quod in historia ducum proloquutus eram; iterum dico, loquor et precor, vt plures existant, qui partim obsepta tabularia studiosius rimentur; partim veterum testimonia diligentius scrutentur; partim haec inter se contendendo, fabellis, anachronismis, annosis erroribus occurrere mederique conentur. Si quid ex his felicius, quam ego, praestitisti; mihi, tibi, patriae gratulabor; nec tibi hac de caussa, quod diuersam a me viam inueneris, vmquam indignabor. Si tamen hanc viam minus rectam inuenero; veritatis studium amorque popularium me coget, ad indicandos errores, qui se non pauciores altero hoc, quam primo libro, lectoribus offerent. Anonymi certe caussam non desituiam, non quasi, quicquid ille scripserat, probarem ac in eius verba iurarem; sed ne scriptor antiquissimus, telis tuis obrutus, e manibus Hungarorum excutiatur; neue vel in iis, quae fide dignissima sunt, non audiatur.

XLV. Aliquas tu velitationes aduersus hunc anonymum Belae notarium iam in prima parte praemisisti. Nunc iam ad ipsum certamen decretorium descendis; et quia, *conquisitis*, vt ais, (a) *undique subsidiis eius auctoritatem fulcire omni vi connixus sum*; me quoque per eius latus acrius petis. Repetis hic tela, quae iam in velitatione praeiecisti; (b) nec iis iam ibi repressis, opus esset apologia noua, nisi nouo tu modo hic aliqua recoqueres. Ad magnam illam temporum longin-

---

(a) pag. 126.

(b) pag. 23.

ginitatem iam respondi. (a) De Darete Phrygio hic addis, eius potius exemplo, quam veri studio hoc opus illum concinnasse. Sed nec ex Daretis, nec e tua poesi sumtum exemplum officere veritati, iam ostendi. (b) Daretem certe non nominavit anonymus, quasi poetice tantum eius exemplo scribere vellet; quum aperte profiteatur, *vere et simpliciter*, item *rerum veritatem* se scribere, quod vtiq̄ue non est *commenta poetica* referre. Dum ais, (c) illum *circumstantias ad arbitrium effinxisse*; more calumniatorum agis; nisi loca designaueris, in quibus hae circumstantiae sint effectae. Dum per contumeliam vocas illum *paullo religiosiorem*, quod *Almo duci Spiritum S. conductorem attribuerit*; meminisse debebas, haec de duce quidem ethnico, sed ab auctore Christiano scribi, qui prudentiam, consilium, aliasque virtutes, Almo tributas, Spiritus S. donum esse credidit. His igitur, vt dixi, per modum velitationis, adhibita figura praeteritionis, obiter praeiectis, hac formula decretorium anonymo bellum indicis: *Solam eius narrationem cum coaeuis monumentis et secum ipsa contendam, vt hac inexpugnabili pugna expugnatus a se ipso anonymus ipse semet et fide, et omni in historiis auctoritate exuat.* Formidabile bellum, non iam a notatione nominis, sed a coniugatis inchoatum: *inexpugnabili pugna expugnatus.* Extrema hic anonymo perniciet et certissimus interitus intentatur: *ipse semet et fide, et omni in historiis auctoritate exulere* debet. Post tantas minas et tonitrua quis ex iis, qui

(a) N. XXI.

(b) N. XXII.

(c) pag. 127.

qui sociam et auxiliatricem anonymo manum adferre volebat, animo non concidat et mature receptui non canat? At enim militis, non sectoris, sed inertis nomen meretur, qui sola iactatione verborum terretur. Inter verba, quae volant et lapidem non laedunt, ac arma magnum est discrimen. Nouimus, alicubi defuisse pulueres, vbi minae grauissimae iactabantur. Nouimus, vasa magis sonare, quae magis vacua sunt. Nouimus et experti fumus, *indubitata scriptorum monumenta* nobis antea quoque promissa fuisse, quae tamen nusquam inuenimus. Quum igitur *magno promissor hiatus* verbis suis ibi non steterit, animo cadendum esse, nec hic censeo. Quare *propius ad rem*: ad arma miles!

XLVI. Videtur aduersarius non audere cominus anonymum aggredi; quum ab Attila, qui non Hungarorum, sed Hunnorum rex erat, pugnam auspicetur. Anonymus enim historiam Hungariae ducum profitetur; licet aliqua capite I. de Hunnis et Scythis obiter attingat. In his autem ad fidem aliorum idem ita prouocat: *De quibus historiographi, qui gesta Romanorum scripserunt, sic dicunt. Item: Vt quidam dicunt historiographi.* Si doceri posset id, quod ille dicit, historiographos non dicere; posset in his anonymus in suspicionem vocari. Si vero res antiquissimas tantum ex aliis referat; si quis error in rebus relatis inuenitur, iis hic adscribendus est, qui primi res illas commenti sunt. Anonymus e. gr. refert, *Alexandrum M. filium Philippi regis et reginae Olympiadis* fuisse; si hanc eius narrationem impugare velles; non tam anonymo, quam veteribus illis scriptoribus, qui hoc idem asseruerunt, li-  
tem

tem intentare deberes. Sed aliam tu tibi legem tulisti. Narrat anonymus, vt refers, (a) *Attilam, fugatis Romanis, Pannonias occupasse: regiam suam sedem Budae fixisse: urbem hanc eapropter fortissimis muris circumdedisse.* Et haec narrat ex illis fontibus, ex quibus alii quoque patrii scriptores idem narrant. Sicut igitur aliis patriae scriptoribus propterea bellum non indixisti, ita nec anonymo debuisses, qui hoc obiter tantum, et velut aliud agens, quum historiam Hunnorum scribendam non suscepit, ceterisque multo breuius attigit. Tu tamen, quasi singularis haec anonymi sententia fuisset, illum vnum aggredieris, armisque potissimum e Cl. Seuerini depromtis; diutius, quam par erat, laceassis. (b) Quid tandem prolixo hoc episodio proficis? Verisimili coniectura Cl. Praius ostendit, (c) *omnes Pannonias Attilae paruiffe.* Tu coniecturas tuas, certe non demonstrationes seu mathematicas, seu historicas, opponis. Adhuc igitur sub iudice lis est, an vere scripserit anonymus, *Attilam, fugatis Romanis, Pannonias occupasse.* Cl. Praius, coniecturis vsus, Attilae regiam, cuius Priscus meminit, extra Pannoniam collocauit. Idem ego feci, quum ad Iászberény eandem defixi. Quia vero Priscus plures Attilam aedes habuisse scribit; affirmaueram, anonymum illi non aduersari, quum Attilae regiam etiam in Pannonia constituit. Nec enim ille hanc Attilae regiam fuisse principem affirmat, quum solam eam nominat. Causa subesse potuit, quod sola haec ad aduentum vsque Hungarorum

(a) pag. 127.

(b) pp. 127. - 135.

(c) *Annal. Vet.* p. 132.

garorum perfiterit; quum alioqui princeps illa, de qua Priscus loquitur, lignea fuerit aetatemque ferre minus potuerit. At, inquis, (a) licet Priscus plures Attilae aedes commemorasse detur; nullas tamen ex omnibus Pannoniae attribuit. Atqui nullam etiam seu Daciae, seu Iazigiae nominatim attribuit. Dum innuis, illic Attilam regiam educere non potuisse, vbi nihil terrarum potestate sua comprehendit; principium petis. Cur vero Pannonum se regem Attila nominare debuisset; quando Gothorum, quos in Pannonia sibi subiectos habuit, se regem nominauit? Fuerint mouimenta Budae veteris a Romanis excitata; non potuit eadem in regiam Attila conuertere? Miror profecto, te tam leuiculis in ipso limine ratiunculis anonymi fidem sollicitare. Nam, etiamsi tandem euicisses, illum de fugatis ex Pannonia Romanis Attilaeque regia Budae constituta male scripsisse; rectene sequeretur, illum *semet et fide, et omni in historiis auctoritate exuisse*? Omnesne, qui prorsus eadem cum anonymo tradunt, omnem sibi fidem et in historiis auctoritatem adimunt? Omnesne, licet eos semel errasse doceres, semper errare recte dicere posses? Si hoc nonnisi per summam iniuriam ageres; vide, quantam iniuriam anonymo, quem errasse nondum ostendisti, irrogaueris.

XLVII. CAPITE II. Hunnis desertis, quos ob iter anonymus attingit, ad Hungaros, quorum ille historiam scribendam suscepit, gradum facis, eiusque narrationes de egressu Hungarorum ex A-

I

sta

*sia suspectas reddere conaris.* (a) Hunc in finem recitatis primum anonymi, deinde Porphyrogeniti de Hungarorum politia verbis, (b) hos duos scriptores inuicem ita contendis: (c) *Anonymus Arpadem filium Almi, Constantinus filium Salmutzis facit.* Digna haec est difficultas, ob quam anonymus omni fide destituatur. Frustra sunt omnes patrii scriptores, qui communi consensione patrem Arpadi ducis Almu[m] vocant. Errarunt omnes: nullam in historiis fidem, nullam auctoritatem habent. Non Almus; sed Salmutzes is erat. Ita Constantinus illum vocat. Immo grauius etiam omnes errant, quum Hungaros Hungaros appellant. Turci sunt illi, non Hungari, dicendi. Sic enim illos Constantinus, illis temporibus vicinissimus, appellat. Adeoque caete deinceps, patrii scriptores, ne vel patrem Arpadi ducis Almu[m], vel Hungaros Hungaros vocetis. Illum *Salmutzem*, hos *Turcos* appellare debetis; secus enim omnem fidem, *omnem in historiis auctoritatem* amittetis. Hem, quas nobis leges nouum Iyftema dicat!

XLVIII. *Anonymus, pergis, in serie ducum primum Vgegum; Constantinus Lebediam ponit, a quo et regioni nomen adiungit.* Quum in primo puncto non potuerim anonymum defendere; hic conabor illum defectum supplere. Ais, anonymum *in serie ducum* primum *Vgegum* ponere? Videamus, qua veritate hoc nitatur. Anonymus *seriem ducum* ita textit: (d) *Almus, pater Arpad; Eleud,*

---

(a) pag. 136.

(b) pag. 137.

(c) pag. 138.

(d) Cap. VI.

*Eleud*, pater *Zobolsu*; - *Cundu*, pater *Curzan*; *Ound*, pater *Ete*; *Tofu*, pater *Lelu*; *Huba*, - *Septimus Tubutum*. Vbi hic *Vgegus* ponitur? An, si iam non primus, saltem vltimus in tota serie *ducum* legitur? Consule seu *Schwandtnerianam*, seu *Tirnauiæ* recusatam editionem; consule MS. *Vindobonense*; pignore certare tecum auisim, nusquam illum in serie *ducum* inuenies. Quid igitur? Res ipsa, me tacente, satis loquitur. At certe patrem *Almi* vocat *anonymus Vgegum*; hic igitur *ducum* primus erat. Atqui progenitorem *Vgeki* vocat *Magogum*; cur hunc *Vgeko* non praeponis? Nempe quaeritur, non quos in *Scythia*, sed in egressu duces *Hungari* habuerint. An *Constantinus Lebediam* in *Asia* remanentium, an in *Europam* egressorum ducem facit? Et quomodo *Lebediam* primum ducem facit; si differte scribit: (a) *Ante hunc Arpadum Turcae principem alium nullum umquam habuerunt*? Facilius profecto fuerit *anonymum* cum *Constantino*, quam hunc secum ipso conciliare. Propter hanc tamen tantam difficultatem *Constantinum* auctoritate *historica* non exuis; *anonymo* propter *miorem* difficultatem omnem fidem adimis.

XLIX. Illi rursus hunc in modum obstrepis: *Anonymus Almu* a septem *Hungarorum ducibus*, et quidem libera voluntate principis honore ornatum; *Constantinus* primum hoc honore ex *Hungaris* cumulatam *Arpadem* a *cagano Chazarorum* ea lege, ut ipsi subesset, narrat. An sibi haec opponuntur: *Septem duces* elegerunt *Almu* ducem; nec enim *anonymus* dicit principem; *Chazarorum* ca-

---

(a) De adm. imp. C. 38.

ganus Arpadum? Scribit anonymus, Almu in Asiatica Scythia ducem electum; scribit Constantinus, in Lebedia, quae iam Europae prouincia fuit, Arpadum principem fuisse constitutum; an ista suapte non conciliantur? Tu tamen istic *inexplicabilem nodum* tibi fingis. Cl. Katona, scribis, (a) *vt inexplicabilem hunc nodum solueret, statuit,* (b) *Arpadem cet. Quae si verissima essent; nihilominus anonymi cum Constantino pugnas minime tollerent. Ille enim Arpadum Hungaris a patre; hic a cagano Chazarorum: ille ex consilio suorum; hic e consilio Chazarorum: ille in Hungaria; hic in Lebedia datum assirit. Si tempora distinguere nosset aut velles; nullas hoc loco pugnas inuenire posses. Scribat aliquis historicus, Carolum Robertum, a cuius rebus gestis fusius pertextendis tuae me nugae non auocarunt, coronatum esse per Gregorium, Strigoniensem archiepiscopum, in ecclesia Strigoniensi; scribat alter, eundem coronatum esse per Thomam, Strigoniensem metropolitam, Budae; scribat tertius, Albae regiae. Scribant iterum alii, dissentientibus Hungaris; scribant alii, consentientibus Hungaris, id factum esse; quantas tu pugnas hic videbis! Peritus tamen historiarum, qui tempora rite distinxerit, nullas hic oppositiones obseruabit. Applica haec Arpado, quem licet pater e consilio suorum in Hungaria ducem, pari secum potestate praeditum, constituerit; idem tamen a cagano Chazarorum in Lebediam euocari supremaque potestate princeps Hungaris dari potuit. Non est igitur *inexplicabile**

(a) pag. 139.

(b) *Hist. Duc.* p. 39.

*plicabilis*, ille *nodus*, quem in scirpo quaesiuisti. Verum est, quod obmoues, (a) *nihil plus, quam quod habuit, transdidisse patrem filio*; sed et illud verum, Arpadum, more Chazarorum inauguratum, maiorem patre potestatem obtinuisse. Frustra recurris ad titulum *praeceptoris*; cuius vis ex effectu cognosci potest. Nec enim eandem in Almo, quam in Arpado potestatem historiae produnt. Frustra iurisiurandi sollemnitatem arripis; nam sub eiusdem iurisiurandi formula potest et maior, et minor potestas concedi. Frustra denique tibi plaudis, ac obiicis, ostendere me, *duos hos scriptores pugnare*; si sollemnius Arpadum a Chazaris, secundum Constantinum; quam *Almum* ab Hungaris, secundum anonymum, contendam inauguratum esse. Vltimum *inexplicabilem nodum*, ex anathemate plexum, iam in velitatione vel dissecuimus, vel certe dissoluimus. (b)

L. Nodis igitur inexplicabilibus expeditis, ad anonymi narrationes nos reducis easque compendio proponis. (c) Ad has ego firmandas vsus sum regula, quam ex his Cl. Praii verbis depromsi: (d) *Vt patriis annalibus, dum contraria veteribus et aetati Hungarorum aut coaeuis aut superparibus scriptoribus narrant, non facile desero; ita, dum isti silentio praetereunt ea, quae domestici narratione complectuntur; si ceteroquin cum antiquorum annalibus conciliari possint, non video, cur horum auctoritas in aliorum silentio non valeat.* Recitata

F 3

hac

(a) pag. 140.

(b) N. XXIII.

(c) pag. 141. 142.

(d) Hist. Duc. p. 74.

hac regula, quam ego mihi praestitui, fugillas obiter (a) *notarii Belae narrationes, nullius prorsum alterius domestici exterius testis auctoritate roboratas.* Nihil igitur Porphyrogenius de septem Turcorum gentibus, nihil alii patriae scriptores de septenario ducum numero; nihil de somnio, quod Almo nomen istud peperit, eiusque progenie, quam omnes ab Attila deriuant; nihil de Scythia, Dentia, Magoria, Susdalia, Kiouia; nihil ipse Nestor de Hungaris, *per Kiouiensem prouinciam profectis, vt alia praeteream, meminerunt?* Plura quidem anonymus de primis Hungariae ducibus, quam alii tradiderint, ad nos transmisit; at hoc illi non vitio, sed laudi potius dandum est, et in hac inopia scriptorum qua laboramus, gratulandum, quod huius opera de maioribus nostris plura nobis innotescant. Quis igitur sanus sanam esse dubitet regulam illam, qua huius etiam auctoritatem in aliorum silentio recipiendam esse statuimus, modo contraria veterioribus non narret? Ipse Cl. Praius, primum quidem in anonymum non satis benignus, deinde tamen ita pronunciauit: (b) *Anonymo, si non aliena ab vicinorum chronographis narret; nihil est, cur fidem eatenus non tribuamus.* Non idem tibi sensus et consilium. Ad omnem fidem ei tollendam et ad conuellendas, vt hic loqueris, (c) *anonymi narrationes pugnasque cum Russis pugnatas, eandem quidem regulam adhibere vis; sed ei haec verba Praiana praeiicis: Cum Timone - nolim de numero et ducum nominibus multum tricari.* Quibus in rem  
tuam

(a) pag. 143.

(b) *Dissert. V. p. 100.*

(c) pag. 144.

tuam detortis, aliam tibi regulam in hunc modum effingis: (a) *Standum est auctoritate scriptoris domestici, quum ea narrat, quae alii quoque domestici scriptores referunt, et vetustis ac aetati Hungarorum aut coaeuis aut supparibus scriptoribus contraria non adferunt, et ceteroquin cum antiquorum annalibus conciliari possunt.* Tua haec est, non mea regula, quam ex verbis celeberrimi scriptoris pessime detorsisti. Numquam ille censuit, tunc dumtaxat *standum esse auctoritate scriptoris domestici, quum ea narrat, quae alii quoque domestici scriptores referunt.* Hoc enim repugnat communi sensui scriptorum omnium, qui se felices reputant, si casu MS. aliquem codicem e tenebris in lucem educant. Vnde hic communis laetitiae sensus? Si codex ille nihil aliud contineat, quam *quod alii quoque domestici scriptores referunt*; non maius ex eo solatium potest inuentor percipere, quam ex aliquo codice reperto, typis iam vulgato. Nam, si quid noui contineat; si narret ea, *quae alii domestici scriptores non referunt*; secundum tuam regulam *eius auctoritate standum non est*, licet ceteroquin cum antiquorum annalibus conciliari posset. Infelices profecto nos omnes praepostera haec regula tua redderet, quotquot in vetustis codicibus peruestigandis litterariisque documentis conquirendis non modicum aeris effundimus, ac in iisdem emendicandis et transcribendis, in longinquis et incommodis itineribus conficiendis sexcentas molestias exhaurimus. Nam, nisi quae hinc illinc corradimus, *alii quoque domestici scriptores referant*; eorum auctoritate *standum non erit.* Adeoque tam nos nostris curis et

(a) pag. 145.

studiis actum egimus, quam alii deinceps oleum et operam perdituri sunt, qui vetera documenta venari voluerint. Nobis adhuc satis erat, nouam aliquam rem, industria nostra detectam, cum coaeuis aut supparibus scriptoribus conciliare, nouoque hoc monumento vel codice hiatus patriorum annalium supplere potuimus. Euigilauius tandem; postquam tu nouam legem condidisti. Damnauius irritos conatus nostros ac studium patriae historiam augendi. Hiatus illos, quantumcumque nos exteri dehinc negligentiae postulauerint, obstruere non conabimur. His tantum rebus, quas *alii quoque domestici*; Turotzius, Bak-fai, Heltai, Székely, cet. *referunt*, fidem adhibebimus. Ita tu iubes. Vanum igitur fuit solatium eruditorum, postquam anonymum Belae notarium Schwandtnerus, de Hungaria tam bene meritus, in lucem produxit. Poterat in suis tenebris delitescere; quum aliqua narret, *quae alii domestici scriptores non referunt*. Quid nobis cum Samuele rege, quem Abam adhuc vocauimus? Numi quidem anonymo patrocinantur; sed, quia hoc alii scriptores non referunt, fidem hac in re non meretur. Nolumus nos plus scire de maioribus nostris, quam quae hactenus ex laudatis scriptoribus domesticis scimus. Cesset omnis industria recentiorum historicorum. Recentia hi scribant; vetera relinquunt intacta, quae numquam augeri porro debent. En, quam pulchros fructus regula tua pariet! Et huius auctorem tu facere Cl. Praium audes! virum illum, quem nec emerita senectus impedit, quominus nunc quoque magnam in eruendis ac in lucem educendis veteribus documentis nouisque rebus, quas *alii domestici scriptores non referunt*, operam collocat! virum,

rum, inquam, illum, cuius solatii testis per saepe fui, si quando rem aliquam, aliis scriptoribus domesticis nondum cognitam, detexit? Iniuriam profecto, nec eam leuem, viro tanto facis; quum eius auctoritate sic abuteris. Constat ille sibi, postquam eam legem, quam ex eo decerpseram, tulit. Cur enim addit: (a) *Praesertim, quod Porphyrogenita - videatur patriis scriptoribus utcumque consentire?* Praemisit nempe, se cum Timone de numero ducumque nominibus multum tricari nolle, quod ea Timon e patriis scriptoribus depromserit, quibus, si contraria veteribus non narrent, et cum illis, quum eadem isti silentio praeter-eunt, conciliari possint, deferendum esse statuit. Subiungit, Porphyrogenitam cum patriis scriptoribus conciliari posse; nec igitur eius silentium his obesse debere. Quomodo iam ex his eius verbis tam monstruosam regulam efformare; quomodo tam absurdam illi doctrinam appingere potuisti?

LI. Quum ex monstro nonnisi monstra generari soleant; pro merito iam explosa chimaerica lege tua, refellendis confectariis, inde deductis, tuto supersedere possem. Quia tamen tuum illud commentum, velut oraculum Delphicum, idemtidem obtrudis eiusque vi me *iugulatum* gloriaris; iuuat strictim excutere, quae species imaginationis tibi persuaserit, vt mihi tam turpiter insultares. Primum igitur quaeris, sed, vt ex dictis patet, absurde quaeris: (b) *Fertne hic scriptor*

F 5

(ano-

(a) *Annal. Vet. p. 342.*(b) *pag. 145.*

(anonymus Belae notarius) *talia*, quae alii quoque patriae scriptores vetusti memoriae prodiderunt? Paucis respondeo: non omnia; nec enim descriptor, sed scriptor est. Si tantum Turotzius descripsisset; si nihil praeterea de maioribus nostris memoriae prodidisset; eodem illum loco, quo Turotzius, haberemus. Non quaeritur, an Turotzius Hungarorum in Pannoniam aduentum aliter narret; sed, an rectius narret. Non quaeritur, an Porphyrogenitus ita profus omnia, sicut anonymus, memoriae posterorum consignauerit; sed, an cum eius narrationibus anonymus conciliari possit. *Quin*, subiicis, (a) *et Almi nomen ignorauit*. Inexplicabilis nodus! Ignorauit igitur, non tantum Arpad patris nomen, quem *Salmutzem* Porphyrogenitus vocat; sed etiam Arpadi filii, *Zoltani*, nepotisque, *Toxi*; quia hunc *Taxin*, illum *Zaltam* idem Constantinus appellat. (b) Ignorauit annalista Fuldenfis, licet scriptor synchronus, Sclauorum ducis ab Hungaris profligati, nomen; quia *Zuentibaldum* illum, quem Porphyrogenitus *Sphendoplocum*, appellauit. Non igitur erit deinceps rex Hungariae *Ladislauus*, quem Graeci *Blandislabum* et *Ladislabum*; non *Almus* Belae pater, quem *Almutzem*, hunc vero *Belosim*; non *Geisa* Belae filius, quem iidem *Iatzam* vocant. Melius Graeci, quia temporibus illis vicini, quam Hungari Hungarica nomina nouerunt exprimere. Multa deinceps nomina debebunt ex annalibus nostris expungi; nec poterit porro scribi *Hunyadius*, sed *Cugniades*; non *Szilagyius*, sed *Solagius*; non  
*Banf-*

(a) pag. 146.

(b) Ap. Stritt. T. III. p. 624.

*Banffius*, sed *Damphius*; non *Erdödius*, sed *Herrdondius*; non *Ujlakius*, sed *Vicilacenus*; non *Hederuarius*, sed *Eodemerius*, vel *Hederinus*; quia *Tubero*, licet *Dalmata*, scriptor tamen synchronus, ita scripsit. Immo nec thesaurarium Hungariorum Hungarice *Kints-tartó* vocent; sed *Incitartorum*, vel *Quincitartorum*; quia *Tubero* synchronus ita vocauit. Sed ad serua.

LII. *Nestor*, inquis, (a) *vetustissimus rerum Russicarum scriptor*, - nihil - de pugna cum *Kioviensibus* conferta, nec de clade monumentis prodidit. Legislator seuerissime, patere legem, quam tulisti. *Cosmas*, vetustissimus rerum *Bohemiarum* scriptor, mortuus A. C. 1125. tricenis dumtaxat annis a *Nestore*, cuius annales desinunt A. C. 1094. disiunctus, nihil memoriae prodidit de *Suatoplugi* bellis et victoriis, quibus, vt contendis, (b) *oras*, *Nitriensibus* circumfusas, praeualidus armorum, - in suam ditionem redegerit et a *Bohemis* auulserit. Nec vllum testem, praeter te, *Bohemorum*, ad *Nitriam* a *Suatoplugo* subactorum, excitare potes. Nam, vt supra docuimus, *episcoporum Bauariae* testimonium, in hanc rem male detorques; et tamen tibi credi vis? *Anonymo* vero, quod pugnam, ab illo descriptam, *Nestor* non referat, credi non vis? *Tunc* de rebus, ante 900. propemodum annos gestis, maiorem, quam *anonymus* de rebus, 200. circiter annis ante se gestis, fidem mereris? *Anonymo Nestor* silentio suo non aduersatur. Tibi monumenta, quibus  
Mo-

(a) pag. 146.

(b) pag. 109.

Morauos iam ante Suatoplugum oras illas obtinuisse supra vidimus, differte refragantur. Exede, quod intriuisi.

LIII. Hinc ad propugnandam Nestoris auctoritatem omnes ingenii neruos confers, cuius fidem sartam, tectamque conseruari, tua plurimum interest. Nec enim vllum alium auctorem, cuius testimonio Morauos Bulgaris admoueas ac ad Danubium misceas, producere potuisti. Licet autem eius testimonium iam illic pluribus erroribus refertum ac illius auctoritatem caute sequendam esse docuerim; quia tamen ad illam hoc loco tuendam omnibus neruis incumbis, quibus ad id efficiendum armis et argumentis vtaris, exploremus. Initio statim me fugillas, (a) quod *bunc Russicae historiae patrem, tanquam verbosum Russicae potentiae praedicatorem, describam*. Ais, id ea maxime de causa me facere, quod *expeditionis naualis, quam Russi sub Olego, Igoris tutore, aduersum Graecos suscepisse leguntur, nulla apud Graecos extet memoria*. Causam ego, cur in hac narratione Nestori non deferam, loco, quem citasti, profero, (b) quod *narrationem Nestoris cum Graecis scriptoribus, quorum auctoritas potior, quam illius, esse debet, reperiam non consentire*. Non igitur argumentum *negatiuum*, e silentio Graecorum petitum; sed *positiuum*, a contrariis, non notatione nominis, desumptum, adfero. Aio, narrationem Nestoris cum Graecis non consentire. Nestor scribit, (c) *Olegum, Igoris tutorem, - bis mille naues,*  
mili-

(a) pag. 146.

(b) Hist. Duc. p. 75.

(c) Ap. Pray Diss. IV. p. 77.

militibus refertas, Constantinopolim duxisse, Graecosque ad pendendum tributum coegisse. Byzantini scriptores duplicis expeditionis, contra Graecos a Russis susceptae, meminerunt; alterius cum 200. nauibus sub A. C. 863. alterius cum 2000. nauibus A. C. 941. Vtramuis harum accipias; Nestorem Graecis scriptoribus aduersari reperies. Nec enim, vt ibidem inter cetera scripsi, (a) Graecis vllum tributum a Russis impositum est; sed potius, nauigijs tempestate disiectis et confractis, Russorum potentia, si qua tunc fuisset, admodum debilitari, Hungarisque subinde repellendis minus idonea reddi debuit. Sinistrum expeditionis primae successum ita Leo Grammaticus attingit: (a) Confestim ventorum impetus vehemens excitatus, et in mari prius pacatissimo fluctuum insultus ad inimicem facti sunt ingentes, adeo vt impiorum Russorum nauigia confringerentur, paucis eorum periculo ereptis. Idem affirmant continuatores Theophanis et Constantini, Symeon Logotheta, Georgius Monachus; item Cedrenus in haec verba: (b) Paulo post DEI iram experti, domum reuersi sunt, legatisque in urbem missis, diuinum baptismum efflagitarunt. Denique Zonaras: (c) Diuina prouidentia - effecit, vt inuita, vel potius iram numinis experta, rebus infectis, discedere cogeretur. Gens igitur Russica, quae, rebus infectis, discedere cogebatur, paucis periculo ereptis, Graecos ad pendendum tributum cogere potuit!

(a) Ap. Stritt. T. II. p. 959.

(b) Ibid pag. 953.

(c) Ibid.

LIV. Sed ne possis ad alteram expeditionem recurrere, quamuis ea post transitum Hungarorum suscepta fuerit; huius quoque finistrum exitum ex eodem Leone Grammatico iuuat attingere. *Omniū primus, de Theophane duce loquitur, (a) celoce nauigio vectus, Russicarum nauium dissoluit ordinem, in aduersarios irruentes, perfectam hostium ediderunt fragem, nauibus una cum militibus plurimis submersis, aliis multa parte caesis, viuis etiam quam pluribus comprehensis. Qui iam ex his Graecos ad pendendum tributum coegerunt! an comprehensi, caesi, submersi? an fuga elapsi? At hos Ioannes Curenas (b) huc illucque palantes deprehendens, cunctos - interneccione deleuit. Aliorum autem, clam effugere volentium, nauigia plurima, repetito conflictu, Theophanes submersit; (c) pauci vero, cum nauibus ad Coeles litora seruati incolumes, nocte ingruente, fugerunt. Consimilia ceteri scriptores Graeci, supra laudati, referunt. I iam, et nega, si potes, me vere scripsisse, narrationem Nestoris cum Graecis scriptoribus - non consentire. At tu hanc Rhodum iterum transfaltasti. Quasi hanc caussam non legisses; aliam assignas, nullam apud Graecos memoriam, vt eo certius me ferias, et erepto meo vel obtruso tuo gladio perimas. Quo quidem, inquis, (d) loco ipse Cl. scriptor historiae criticae proprio se iugulauit gladio. Meus, an tuus sit crudelis iste gladius, quo me iugulatum iactas, videamus. Nam, si verum est (ita digladiaris) scriptoris domestici auctoritatem valere in silentio ex-*  
*tero-*

(a) *Ibid. pag. 968.*

(b) *Ibid. pag. 969.*

(c) *Ibid. pag. 971.*

(d) *pag. 147.*

terorum (hoc verum est, si contraria veterioribus non narret; ita meus gladius) quam regulam, tamquam Delphicum oraculum, irretorte semper respectat Cl. Katona, quoties de anonymi fide suspicio oboritur. (Hoc non minus pulchre, quam vere dictum; nondum ictum sentio) Verum etiam erit Nestoris, in rebus Russicis domestici scriptoris, auctoritatem valere in silentio exterorum. (Verum; si contraria veteribus non narret; ita rursus meus gladius) Verae igitur Olegi expeditiones in Graecos susceptae; etsi ab his silentio praetermittantur. (Atqui non praetermittuntur; sed contrario prorsus modo referuntur. Hic meus gladius est, qui te, non me, ferit) Sin id falsum est; palam est fallere regulam, a Cl. Katona assumptam. (Hic tuus gladius est; sed obtusus: nihil laedit) qua fallente, falsa sint, oportet, illa, quae, tacentibus omnibus coaeuis et supparibus scriptoribus, aevi longe posterior, chartis suis concredidit. Hic ictus supra iam elisus ac in te reflexus est, vbi male gladium ex armamentario Praiano promisti, peius acuisi, pessime hic vibraisti. Num adhuc tibi videor proprio me gladio iugulasse? Frustra mihi tuum obtrudis: meum bene noui: nec media nocte, nec in densissimis tenebris, ne somnians quidem, nedum vigilans, meum cum tuo commutauero.

LV. Sollicitus de tuo Nestore, cuius auxilio Morauiam in Maesia fundasti, hanc ianuam defensionis ingressus, porro quoque sic insistis: (a) Quas Nestor Olego laudes tribuit; quaecumque de adornata ab eo in Russos classe pandit, in eo consentientes habet alios quoque rerum Russicarum scri-

*scriptores.* Quid tum? sed habet dissentientes vetustiores Graecos scriptores. *Contra, quae anonymus de Russorum terris triumphatis et tributorum magnitudine prorsum exinanitis (non prorsum) recenset; ea alium tacent Hungarici quoque vetustiores scriptores.* Quid tum? sed ea non sunt contraria coeuis aut supparibus scriptoribus. Tu semper tuo gladio, nimis obtuso iamque toties represso, pugnas. Quos vero tu vetustiores anonymo scriptores memoras, quibus iidem et poterant, et debebant patere fontes? An vel Turotzius, vel anonymus Turotzianus ante cladem Tartaricam vixit? An nihil eadem clade deperdi potuit, quod ad posteriores anonymo non peruenerit? Siue haec igitur causa fuerit; siue quod Turotzius uti compendio voluerit; anonymus contra, solam primorum Hungariae ducum historiam professus, egressum Hungarorum fusius describendum sumserit; aliorum silentium eius auctoritatem enervare non potest, quod toties iam inculcatum est. Quod autem anonymus Munkatsini; ceteri passim in Transilvania primas Hungarorum sedes defigant; tam parum sequitur, hos illo rectius sentire, quam dum egressum Hungarorum ad seculum VIII. defigunt, quem anonymus ad seculum IX. deponit, et cum aliis vetustioribus tam Graecis, quam Latinis in hac chronologia consentit.

LVI. Post haec iterum regulam tuam regustas. Tantam ea tibi voluptatem creat. Frustra hic auctoritate Cl. Praii rursus te defendis, cuius licet aliqua verba tibi fauerent; nihil contra me proficeres. Numquam enim omnem ego sententiam eius adoptaui; multo minus tuam ex eo pessime detortam regulam vnumquam adoptabo. Qua-

re rursum aerem verberas hac interrogatione: (a) *Quid? non inde recta fluit, Nestori quoque in rebus Russicis subscribendum, in quibus consensus aliorum domesticorum scriptorum pro eo pugnat?* Licet integrum exercitum domesticorum scriptorum, pro se pugnantium seque posteriorum habeat; si tamen isti Graecis veterioribus, coaenis aut supparibus, contraria narrent; secundum sanam regulam, audiendi non sunt. Eodem modo licet sexcenti scriptores, anonymo posteriores, exitum Hungarorum in Europam ad seculum VIII. designant, aliaque vetustioribus contraria tradant; numquam tamen efficient; vt huic turbae scriptorum adhaerere malim, quam anonymo, qui cum coaenis aut supparibus consentiat. Si tua tibi regula dicat; vt errantem potius multitudinem, quam vnum viae ducem, qui per calles; synchronis tritos, incedat, per auia deuiaque sequaris; tu videris.

LVII Addis, *expeditionem Russorum naualem, in Graecos susceptam, de qua Nestor, non solum unanimi consensu annales Russicos celebrare; sed Graecos quoque, in quos suscepta est, innuere. In perniciem Nestoris innuunt; nam in silentio veterum Graecorum illi fides adhiberi potuisset. Quum autem contraria Graecis synchronis narret; iam illi, secundum sanae criticae regulam, deferri non potest. Licet, subiicis, in anno expeditionis et numero nauium minime consentiant. Id vero plurimum facit ad Nestoris auctoritatem eueruendam. Quum enim ille scribat, hanc expeditionem Olegum, Igoris tutorem, suscepisse; nec ille tutoris officium adiuerit ante mortem Rurici, quae con-*

G

tigit

tigit A. C. 878. nec primam cum 200. nauibus expeditionem suscipere potuit sub Michaelē III. caeso A. C. 867. quo nondum Olegus tutor erat; nec alteram cum 2000. nauibus anno 941. quo iam Olegus tutor non erat. Nec deinceps vllam in Constantinopolitanos expeditionem a Russis tentatam fuisse, Zonaras ita testatur: (a) *Russi igitur, pluribus malis acceptis, quam, ut sperarant, datis, a laceffendis Romanis abstinauerunt.* Atque haec caussa fuit, cur ad abrogandam Nestori fidem etiam chronologiam admodum luxatam adduxerim. (b)

LVIII. Nondum Nestoris oblitus, quo loco, rursus vrges, rursus stabilitur auctoritas Nestoris, ea de Graecis (sed contrario modo) referentis, quae Graeci ipsi, posthabito gentis suae opprobrio, victi-veritate, memoriae posterorum prodidere. Nondum sciui victoriam, de hostibus Russis, internectione deletis, relatam, opprobrio Graecis victoribus fuisse. At ubi, quaeris, vel facula, vel tenuissima rima in omnibus Russicis annalibus, per quam clades, ab anonymo relatae, vel minimum promicent? Ipse Nestor praeluxit et rimam aperuit; quum scripsit: (c) *Vgros, siue Hungaros, per Kiouensem prouinciam profectos, aliquamdiu non longe ab vrbe Kiouia ad Borysthenem consedisse.* Sic enim istinc iam alias arguebam: (d) *Quod anonymus de Hungaris, per Kiouensem prouinciam profectis, narrat; narret etiam Nestor. Ille pugnam Hungarorum, cum Kiouensibus initam, pacemque*

(a) Ap. Strutt. T. II. p. 971.

(b) Hist. Duc. p. 79.

(c) Coll. R. Ru]. T. I. p. 14.

(d) Hist. Duc. p. 74.

que victis concessam addit; hic quacumque de causa, silentio praeterit: cur igitur illius auctoritas in huius silentio non valeat? praesertim, quod anonymus contraria Nestori non narret; sed solum ea, quae hic praetermisit, suppleat? Quid? Num Hungari per Kiouensem prouinciam transire; num inde non longe considerare, quod Nestor ipse tradit, poterant; quin vel Kiouenses arma venientibus opposuerint, vel Hungari victricibus armis hanc sibi sedem extorserint? Anonymus igitur adeo Nestori contraria non narrat, ut hic potius obscuris verbis innuat, quod ille dissertis affirmat et supplet. Eua Nestore tuo faculam accensam ac rimam aperitam. Sed faciam, ut ab alio non tantum rima, sed porta quoque tibi pandatur. Celeberrimum Io. Eberhartum Fischerum, historiarum et antiquitatum professorem P. O. academiaeque scientiarum Petropolitanae socium, cuius quaestiones Petropolitanas edidit Aug. Ludouicus Schloezer, academiae scientiarum Petropolitanae socius, historiarum professor P. O. ita scribentem audi: (a) *Annales quoque Russici produnt Vgros A. C. 898. traiecto Borystene flumio, expugnasse Kiouiam. Eua non iam rimam, sed patentem portam, quam cel. ille historicus, tam me, quam te magis in annalibus Russicis, ad quos prouocat, versatus, aperuit.*

LIX. Discrepantia 10. annorum officere tantum non potest, quantum apud Graecos et Nestorem, quam tamen tu sic excusas: (b) *Discrepantia annorum aut nauium numeri quid tamen Nestori officit? Si enim quique clarissimi eiusdem patriae scri-*

G 2

ptores

(a) *Qu. Petrop. pag. 21. 22.*(b) *pag. 149.*

ptores in annis rei gestae, etsi ceteroquin insignis, dissentiunt, quin eapropter sua annalibus eorum non constet fides; quid mirum, a Cedreno aut Theophane in annis dissidere Nestorem? Atqui Nestor ab his ita dissidet, vt neutrius expeditionis tempore tutor Olegus esse potuerit; adeoque iugulum ipsum Nestorianae narrationis a Graecis confossum fuerit. Iam numerus nauium, pergis, (a) alius apud Graecos, alius apud Nestorem expressus, ne bilum quidem de Nestoris auctoritate detrahit. Quum Graeci scribant, expeditionem anni circ. 863. cum 200. nauibus; anni vero 941. cum 2000. nauibus susceptam fuisse; si Nestorem de prima loqui dicas; errauit in nauibus 1800 si de secunda; errauit in annis 78. Tanta differentia nauium vel annorum ostendit, Nestorem irrefragabilem auctorem non esse. Tu tamen illum tueris iterum exemplo Hungaricorum annalium, qui testantur, 300. millia Turcarum fuisse, qui Hungariam ad Mobatsium perdidere; annales autem Turcici non plus 50. aut ultra haec 10. millia imperatorem Turcicum sub signis suis numerasse perhibent. Si candidè voluisses agere, debebas addere, quod eodem loco Brodericius addidit, Paullum Tomorium, non tam armatum exercitum, quam multitudinem et inermem magna ex parte, et imbellem 300. millium dixisse; nam de hostium millibus bello aptioribus interrogatus a rege (b) respondit, 70. millia. Iam inter 50. vel 60 millia secundum annales Turcicos, et inter 70. millia, secundum annales Hungaricos, non est tanta differentia, quanta reperitur inter naues 200. et 2000. Certe facilius

(a) pag. 150.

(b) Ap. Pray Annal. P. V. pag. 109.

facilius error admitti potest in numerandis 50. vel 60. vel 70. millibus armatorum, quam in 200. vel 2000. nauibus. Sed nempe maluiti tu 300. millia hominum inermium, quam 70. millia militum armatorum ponere, quo firmiter ab inermibus, quam armatis argumentum duceres. Firmissimum tamen argumentum a consequentibus, quod maximum apud historicos pondus habere solet et debet, subiicis in haec verba: (a) *Num vnus Hungarorum est, qui cladem illam non sentiat, et propter discordes eatenus scriptores annalibus Hungaricis fidem, cladi magnitudinem et veritatem abroget?* Hoc argumentum ostendit, cladem nos accepisse, quam nullus scriptorum negat; etsi de numero pugnatorum aliqui dissentiant; at in nauali Russorum expeditione non tantum in numero nauium vel annorum Graeci scriptores a Nestore dissentiunt; sed etiam in expeditionis successu Nestori penitus contradicunt. Nam ille Graecos ad pendendum tributum a Russis coactos fuisse iactat; hi Russos, interneccione deletos, a quibus ita victis tributum victoribus imponi certe non potuit, affirmant. Vides igitur maius ad paritatem tuam discrimen, quam inter naues 200 et 2000. aut 60. vel 300. millia hostium, inueniri.

LX. Tandem post pugnam, pro Nestore tam feliciter pugnatum, spolia colligis ac ita concludis: *Quae quum ita sint (non tamen ita, sicut tu voluisti) stat sua Nestori, etiam iudice regula (tua, non mea) ad quam prouocauimus (ad monstrosam*

strosam ego nunquam prouocaui) *auctoritas* (etiam si hic ita staret, sicut non stat; alibi tamen, ubi nouam in ea Morauiam excitasti, iacet) *Eadem iudice* (tuam semper a me distinguas; nihil enim commune cum monstro habere volo) *oppositus Nestori ruat anonymus, est necesse* (Io! victoria!) *Tenemus etiam ex his, non esse standum auctoritate unius scriptoris domestici in silentio exterorum; nisi alii quoque domestici cum eo utrumque concordent* (Hoc iam non tenemus; sed e manibus ibi dimisimus, ubi de chimaerica hac regula differuimus) *Haec enim est, addis, (a) Cl. Praii sententia* (de qua nunquam illum somniauissse, teque grauem viro huic iniuriam irrogare, supra docui) *Alioquin quae figmenta a vero unquam abibunt; praesertim si domesticus scriptor ea narrando persequatur, quae ab aetate sua remota, non patrii, non alieni testis auctoritate firmata, circumstantiis, rei temporisque pugnantis, sint vestita?* Multa, quae nosse anonymus narrando persequitur, et patriorum, et aliorum testium auctoritate firmantur, vt in historia ducum vberius ostendi. An autem illi *nimis quam familiare sit, suam narrationem circumstantiis, rei temporisque pugnantis, vestire; hoc tuum erit, ut calumniator audire velis, demonstrare.*

LXI. Primum impetum in eam anonymi narrationem facis, qua refert, (b) *duces Ruthenorum, scilicet de Kyeu et Sudal, ut ne de sedibus suis expellerentur, filios suos in obsides dedisse Almo duci, Solli-*

(a) pag. 151.

(b) - Cap. X.

Sollicite hic quaeris, (a) *an dux Susdaliae ad demendum Kiouiae Hungaricum iugum peruolarit hoc tantum spatium (circ. 100. miliarium) ante obsidionem Kiouiae, an cingentibus iam urbem Russiae primariam Hungaris?* Neutrum. Nusquam dicit anonymus, ducem Susdaliensem obsides Kiouiae caussa dedisse. Si iam tunc, quum Hungari Susdaliam praetergressi sunt, obsides ea de caussa dedit, *ut ne de sedibus suis expelleretur*; totum dilemma tuum cum tot anxiiis interrogationibus et ludicris amplificationibus, corrui. Nihil enim officit, quod, arrepta hac occasione, simul obsidum Susdaliensium et Kioviensium meminerit; nec ordinem rerum, ab Hungaris gestarum, obseruaerit. Commune hoc est aliis quoque historicis, ac idem alias etiam anonymus ipse facit, ut, dum, pluribus interiectis, eandem rem ita repetit: (b) *Duces etiam Ruthenorum, ut ne de sedibus suis expellerentur, filios suos, ut supra diximus, in obsides dederunt cum muneribus non numeratis. Tunc* - - Hanc particulam anonymus instar nexus et transitionis saepius adhibet, non ut ea simul actas res significet. In dubium subinde vocas ea, (c) *quae de Kiouiae duce memorantur, quod ea ne potuisse quidem fieri, Cl. Praius ostenderit.* (d) Sed, quum ad obmotas a Cl. viro difficultates alias responderim, (e) neque tu responsiones et argumenta mea reselleris, iis recensendis et ego superfedeo. - Kiouiam Attilae tempore iam existit-

G 4

fe,

(a) pag. 151.

(b) Cap. XII.

(c) pag. 152.

(d) *Diss.* IV. p. 77.(e) *Hist. Duc.* p. 75. - 79.

se, si condita fuit anno 430. nullum est dubium. An autem Russiae duces iam tunc ibi sedem fixerint, parum refert. Nec enim anonymus Kiouiae, sed Ruthenorum duces nominat; quum rem tibi suspectam ita narrat: (a) *Tunc duces Ruthenorum, hoc intelligentes, timuerunt valde, eo quod audierant, Alnum ducem, filium Vgek, de genere Attilae regis esse, cui proavi eorum annuatim tributa persouebant. Quod hic de tributis, olim Attilae dependis, dicitur, inter figmenta non esse reponendum, alias e Prisco Rhetore docui.* (b) *Nihil igitur adhuc ex anonymo retulisti, quod circumstantiis, rei temporisque pugnantibus, sit vestitum.*

LXII. *Non minus a vero, dicis, (c) abhorrere id, quod de Lodomeriae duce et Galliciae concentrariuit anonymus. Ut haec tempori non congruere doceas; ais, Lodomeriam post transitum Hungarorum conditam esse. Magnum, sed apud imperitos historiarum, argumentum! Non igitur licuit anonymo prouinciam, aliter tunc appellatam, ad aetatis suae morem Lodomeriam appellare? Non licuit, etiam illam regionem, quae tantum post aduentum Hungarorum Hungaria dici potuit, etiam prius Hungariam vocare? Non licet hodie Tsnadiensem episcopatum, ad Marusium a S. Stephano conditum, dicere; sed Morisanum, ut tempore S. Stephani fuit ab ipso quoque S. rege vocatus, etiam si non intelligamur, oportet dicere. Non mihi licet, regnum illud, quod Anglia hodie vulgo dicitur, si res, ante Britanniam*  
ab

(a) *Cap. VIII.*

(b) *Hist. Duc. pag. 66.*

(c) *pag. 153.*

ab Anglis occupatam gestas, scribam, Angliam nominare? Sed quid opus exemplis? audi differentem hac de re magni iudicii Farlatum: (a) *Neque inauditum, neque inusitatum est, historicos, quum de rebus vel antiquissimis scribunt, res ipsas regionesque, in quibus gestae sunt, nominibus recentissimis afficere, quae posterioribus aetatibus primum adhiberi coeperunt.* Scitum est, etiam Esdram, dum libros sacros recognouisset, multas appellationes locorum Palaestinae non veteres, sed recentiores ac aetate sua iam vsitatas, adhibuisse. Quare vanum et inutilem prorsus laborem suscepisti, dum in originem appellationis Lodomeriae, Galliciae, Suddaliae tam diligenter inquisiisti. Satis est, has appellationes anonymi temporibus vsitatas iam fuisse.

LXIII. Ain' vero *Russiam a temporibus Rurici, primi Russorum principis, usque ad A. C. 971. plures, quam vnum, duces non nouisse? Dabis mihi, spero, Russis Igorem non ante, sed post Ruricum, praefuisse, nec ad annum usque 971. proiuisse.* Haec postulata mea non quidem mathematica, tantae tamen certitudinis sunt, vt, nisi velis admittere vel filium ante patrem Russis dominatum fuisse, vel Igorem centum annis in Russia regnasse, non possis ea negare. Atqui sub huius Igoris principatu sub ipso Hungarorum aduentu, *Russia plures, quam vnum, duces nouit.* Nam, teste Dlugosso, (b) *Ihor, Rureki filius, Oskaldum et Dir, Kiouiensium principes, - dolo occidit, et principatus, et terras eorum occupauit.*

G 5

dem

(a) *Illyr. Sacr. T. I. p. 119.*(b) *Libr. I. Col. 49.*

dem etiam alium *Ruthenici generis ducem*, - *Miskinam*, - *ad tributum - coegit*. En, praeter Igorrem, tres vel ex vna Dlugoffi pagina *Russiae duces!* Rursus igitur oleum et operam perdidisti; dum tam eruditam ex Gebhardo de *Russia* dissertationem adornasti: quasi vero totum id, quod hodie *Russiam Nigram, Albam, Rubram, seu Rutheniam*, dicimus, *Ruricus* ditione sua complexus fuisset. Debuisses vnum alterumue scriptorem, praeter illum, consulere, v. gr. *Crusium*, apud quem legisses, et didicisses, (a) *Russiam - seculo nono Slavis, ex Polonia irrumpentibus, usque ad Borysthenem fluvium paruisse*. Quare, dum anonymo his verbis insultas: (b) *Qui quomodo Almo, longe antedebat rebus mortalibus exempto, tributum dependerint, nemo equidem explicatum dabit; te ipsum ridendum proponis*. Nam facile quivis explicatum dabit, illos *Almo* tributum dependere potuisse, qui duces erant *Russiae* prouinciarum, longe antedebat, quam tu dicas, diuisarum. - De *marcis* idem responsum habeto, quod de *Lodomeriae* vocabulo. Quum enim anonymus, etiam si *Belae I.* notarium illum faceremus, post eius mortem historiam suam scripserit, ac eius aetate *marcarum* vsus et nomen obtinuerit; quis prohibere potuit, ne *mediam libram* recepto iam tunc vocabulo *marcam* appellauerit. Quod multo magis, si *Belae II. vel III.* notarium illum faciamus, admitti debet. Quare, licet apud *Russos*, vt obmo- ues, (c) *Hungarosque id genus pecunia pondoue Almi aevo inauditum* fuisset; satis est, id aevo nostri

no-

(a) *Elem. Hist. p. 30.*

(b) *pag. 154.*

(c) *pag. 155.*

notarii iam inauditum non fuisse: nec quicquam obest, quo minus, si semilibram Hungari petierunt, et Russi dederunt, ille marcam expresserit. Admodum leuis est et illa difficultas, quam in notis hunc in modum indicas: *Vereor, vt ea aetate tot minas (marcas) auri dare, vt anonymus designat, non superauerit vires vnius Russicae ciuitatis.* Ducatus dicere debebas; nec enim vnius ciuitatis, sed aditae simul regionis, ambitu ducum illorum ditio continebatur. Argenti marca leuioris ponderis vnum, grauioris quatuor florenos, secundum hodiernum ius Hungaricum, aequat. (a) Quare 2000. *marcarum argenti*, quae Lodomeriae dux Almo dedit, duo vel ad summum octo millia florenorum aequarunt. Addidit *centum marcas auri*, seu 14372. florenos; quum auri marca, secundum idem ius Hungaricum, 72. florenis aequualeat. (b) Ex hoc valore, quem quidem interea variari potuisse, non inficior, coniecturam facere possumus ad eam summam, quam tu *superasse vires vnius Russicae ciuitatis* suspicaris. Pauperem profecto seu ciuitatem, seu ducatum illum fingis, qui pondus auri simul et argenti, quod 20. vel 30. millia florenorum aequauerit, repraesentare non potuerit. Magnus ille dux Hadikius, quem non sine honoris significatione hic nomino, 310. millibus imperialium vnam urbem multare potuit anno 1757. et integra prouincia circiter 30. millia pendere non potuit? Scio quidem discrimen inter haec et illa tempora; sed magnum quoque discrimen est inter 30000. floren. et 310000. imperialium. At *Romani*, subiicis, teste *Liuius*, vix

cen-

(a) *Part. 2. tit. 28. 82.*(b) *Part. 2. tit. 72.*

*centum libras auri, pretium libertatis, Gallis numerare poterant. Urbem exhaustam et ad vnum Capitolium redactam cum integra Lodomeria contendis? S. Stephanus passim transgressoribus et turbatoribus suarum donationum 100. librarum auri, seu 200. marcarum multam imposuit. Putas, vires vnius transgressoris hanc summam superasse, diuumque regem poenam impossibilem dictasse? Vides igitur, anonymum neque marcas circumstantiis, rei temporisque pugnantibus, vestiuisse.*

LXIV. Sed a leuioribus ad grauiora gradum facis, ac anonymum ita tandem inuoluis, vt illum euolui numquam posse, tibi firmissime persuadeas. Numquam, ais, (a) *Belae notarius sua commenta magis prodidit, quam quum camelos, cum equis a Russiae principibus muneri datos, imperite finxit.* Grauis haec indignatio, quae tibi conuicta haec expressit, graues causas habere debet, Examinemus igitur et amoliamur has causas, vt commotam in anonymum bilem tuam, qua possumus arte, mitigemus. Indignationis primam causam promissis e Plinio, quem anonymus non legerit; quum hic ita scribat: (b) *Camelos inter armenta pascit oriens, quorum duo genera, Bactriani et Arabici. - Odium aduersus equos gerunt naturale.* Haec sunt Plinii verba, quibus quum non negauerit, praeter Bactrianos et Arabicos, etiam alibi camelos pasci; quum non negauerit, etiam illos in Septentrionem posse deduci; veniam aliquam meretur anonymus, seu Plinium legerit, seu non legerit, quod etiam in Russia camelos inuenit.

(a) pag. 156.

(b) Hist. Nat. L. 8. C. 28.

nerit. Sed frustra sum. Non placaris. *Vnde, cum indignatione quaeris, unde haec tanta copia camelorum repente in Russia comparuit? qua via, quo pacto ex Arabia huc adpulit?* Nimis fortiter vrges. Scripserat idem anonymus de Hungaris victoribus: (a) *Et tonsa capita Cumanorum Almi ducis milites mactabant, tamquam crudas cucurbitas.* Iam si me tam molestis quaestionibus vrgeas, ubi hae cucurbitae, quibus tonsa capita Cumanorum anonymus comparat, creuerint; an in agris? an in hortis? an iam tunc in Russia, quum illac Hungari transfuerunt, exstiterint; qua via, quo pacto huc delatae fuerint; ego tibi nunquam satisfecero. Mitius igitur preme. Noli quaerere: *unde tanta copia camelorum!* Non enim erat nimis stupenda copia. Noli particulam addere, *repente*; iam prius adduci poterant. Noli curiosius inuestigare, *qua via? quo pacto?* Poterant etiam per loca siticulosa; quum cameli sitim etiam triduo tolerent; nec indigebant curru; quum quatuor pedes habeant. Quidsi vero per camelos anonymus funes nauticos et rudentes intellexit, de quibus quidam intelligunt illud euangelii: (b) *Facilius est, camelum per foramen acus transire, quam diuitem intrare in regnum coelorum?* Quid illo facies? An etiam hi funes Baetris vel ex Arabia debebunt adferri? Sed desinamus iocari. Neque tu serio videris loqui; quum subiicias. *Quod si tamen ultro dem; tamen hoc donum peius fuisset Danaorum donis.*

(a) *Cap. VIII.*(b) *Matth. 19. 24.*

LXV. Post haec pulchras eruditiones ex historia de camelis inspergis, vt odium camelorum aduersus equos, cuius Plinius meminit, doceas; adeoque non potuisse simul a Russis equos et camelos donari Hungaris, ostendas. Sed, amabo, quid magis aquae, quam ignis aduersatur? Si tamen elementum vtrumque mihi sit vtile vel necessarium; non possum vtrumque, si mihi detur, accipere? Certo. Possunne tamen aqua sic vti, ne vel mihi, vel aquae noceat ignis, aut vicissim? Quidni? modo haec inuicem non iungantur. Quorsum igitur historiam de Cyri camelis ingratis huic aduocas? An Cyrus in exercitu suo solos camelos, an etiam equos habuit? Si suos ille camelos ab equis ita seiungere potuit, vt ii non ipsius, sed Croesi tantum equis nocuerint; non potuit Almus paucos illos camelos ab equis Hungarorum ita separare, ne perturbarentur? Haec sane difficultas non merebatur, vt tantis a te conuiciis anonymus oneraretur. Vides igitur, quam minuta sit haec amplificatio tua, siquid video, non satis ad rhetoricae leges exacta: (a) *Demus iam tantum camelorum equis Hungaricis adiunctum; quae horum a camelis fugae? quae auersiones? quam infestum agmen Hungaricum fecisset tum tot intra montes iniquitas locorum, tum terror equorum? Simul quae Russis cum suis camelis et thesauris elabendi oblata occasio? aut quam certa ipsos excepisset mors, quam dux Almus, equitatum in siluis distrabi non ferens, non minus Russis obtulisset, quam olim obtulit Hannibal Gallis Alpestribus, quum prius amice exceptum commeatuque adiutum, ardua montium*

---

(a) pag. 157.

tium superantem, ex insidiis petiissent? Victo taedio, quod me hoc vel legentem inuasit, totum exscribere volui, vt appareat, quantum sit in rebus inane. Tu tamen has ampullas, velut ad rem productas et inflatas, hoc epiphonemate coronas: *In rebus humanis quamquam secula ac personae intereant; caussae tamen et euenta eadem recurrunt.* Pulchre dictum, sed nihil ad rem. Hic tu quidem alienam; at mox tuam sententiam ita depromis: *siquid video, ex eodem fonte immanarunt cameli in anonymi narrationem, ex quo anathema iuramento, Almo duci praestito, fuit insertum.* Ita tibi hoc anathema placet, vt iam tertium illud recoquas. Me vero piget idiotisimi Hungarici te rurius admonere. Hungari certe, quum iusiurandum illud Almo duci praestiterunt, non Latine sunt imprecati, vt, qui iuramentum illud infringere voluerit, *anathemati subiaceat*; sed Hungarice: *átok, vel átkozott légyen.* Si hoc anonymus non ita vertit: maledictum, vel maledictus sit; sed: *anathemati subiaceat*; quid contra historiae veritatem peccauit? Sed nempe ludicra debes, quum Ieria non potes, oggerere.

LXVI. Praelio camelorum confecto, nouum anonymo bellum indicitur, (a) quod ausus singulare certamen inire, seu singularem sententiam, a vulgari penitus alienam, proponere, *Hungaros e Russia recta ad prouinciam Beregiensem deducat.* Iam dixi, testes non tam numerandos, quam ponderandos esse: plures quidem patrios scriptores exitum Hungarorum ad seculum VIII. defigere; nostrum

nostrum tamen anonymum illis praefertendum esse, quod is ad seculum IX. hanc migrationem defigat, ut cum exteris scriptoribus, aetati Hungarorum vicinioribus, magis consentiat. Sicut autem in chronologia, sic in geographia, seu locorum, per quae Hungari huc penetrarunt, descriptione, tutius anonymum, temporibus illis magis propinquum, sequimur. At, inquis, *in eo sese omnibus vetustis Russis, Graecis et Germanis scriptoribus opponit, qui omnes e Moldavia, Valachia, Dacia in Pannoniam accersunt Hungaros.* Omnibus - omnes - Omnesne legisti? cum saltem vnum ex omnibus excitasti? Nam anonymum Constantino non opponi, sed vtrumque conciliari posse, quum vnus de his, alter de sedibus et migrationibus aliis loquitur, in historia ducum pluribus ostendi. Quod e Sulzero de Hungaris, in Moldavia habentibus, refert; plures iam memoriae prodiderunt. (a) At, quod suspicaris, eos reliquias esse Hungarorum, a Patzinacitis inde propulso, sicut id sine testibus asseritur; ita sine difficultate negatur. Ceterum, etiamsi doceres, illos Hungarorum illorum esse reliquias; nihil contra nos efficeres, qui Constantinum cum anonymo sic conciliamus, ut Hungaros a Patzinacitis etiam in Moldavia fuisse victos admittamus. Si vero dubitas, (b) *an clades, a Patzinacitis accepta cum tot triumphis, e Russia relatis,* - cohaereat; modo tempora noris et velis distinguere, facile dubium omne depones. Nam ante cladem, a Patzinacitis acceptam, sunt relati *tot triumphis*, hoc est, vnus triumphus; nec enim anonymus plurium, quam vnus in Russia praelii de-

(a) *V. Ios. Benkö Milkou. T. II. pag. 6. seqq.*

(b) *pag. 159.*

decretorii, meminit. Deinde, si clades, a Patzinacitis accepta, non obstitit, quominus *praeualidum* illum armorum Suatoplugum, victorem tot populorum, Hungari vincerent; cur eadem clades, etiamsi collocaretur ante *tot triumphos*, impedire debuit, quominus *ciuitatum*, vt supra scripseras, praefectos vel regulos subigerent? His proiecto ducibus profligatis, nec tantam difficultatem experiri, nec tantam gloriam promereri poterant, quantam tu post Suatoplugum victum iisdem in haec verba circumponis: (a) *Vt adeo ingenti semper admiratione celebranda sit Hungarorum militaris gloria, qui, quamquam accisi viribus a Patzinacitis, nil tamen integra Suentibaldi potentia moti, arma ditionibus eius inferendo, eo maius suo nomini parauere decus, quo validiorem vicere hostem. Tam obtusa paeneque plumbea sunt arma, quibus anonymum oppugnas, vt me iam taedium non tam illa retundendi, quam ista describendi, ceperit.*

LXVII. Vtinam deinde narrationes anonymi sincere referres! Sed nempe quia solidis armis et argumentis destitueris; commenticiis ad eum lacessendum vteris. Hungaris hanc terram ingressis ac eius incolis magno metu correptis, anonymus ita scripserat: (b) *Tunc dux Almus et sui primates, audientes talia, laetiores facti sunt solito, et ad castrum Hung equitauerunt. Post haec, narrata Lobortzii fuga supplicioque, subiicit: Tunc Dux Almus et sui, castrum Hung subintrantes, diis immortalibus magnas victimas fecerunt. Audiamus, que-*

H

modo

(a) pag. 124.

(b) Cap. XIII.

modo haec noster paraphraſtes exponat: (a) *Sed quod, inquit, vt in hoſtico, hic non ſatis hae copiae ſalutis ſecurae eſſe viderentur; paullo poſt circumdedit eas muris arcis Vngenſis. Haec ſunt ad anonymi mentem expoſita? Illosne hoſtes Almus timuit, quos in fugam impulit; quorum ducem e medio ſuſtulit? omnesne copias arcis Vngenſis moenibus, et quidem ſecuritatſ cauſſa, circumdedit? Ne Mathias quidem, quum aduerſus numeroſum Polonorum et Bohemorum exercitum Wraſlauriae cum paucis ſe tueretur, exercitum ſuum moenibus incluſit. Et hic tantus Hungarorum exercitus aduerſus fugitiuos hoſtes ſe muris circumdedit? Adeone deliſſiſſe tibi fingis ſeu ducem Almum, ſeu ſcriptorem anonymum, vt ille hoc fecerit, iſte hoc ſcripſerit? Scripſit, inquis, *Almum et ſuos caſtrum Hunc ſubintraſſe. At ſcripſitne, milites omnes, vel tantum illos primates, quorum ſupra meminit: Tunc dux Almus et ſui primates, audientes talia - ? Scripſitne, vel iſtos metu hoſtium ingreſſos; an diis victimas facturos? Quid eſt ſcriptorum verbis abuti; ſi hoc non eſt? Tu tamen triumphas; et quaſi iam anonymum muris Vngenſibus cum omnibus Hungaris incluſiſſes, ſic eidem inſultas: (b) *Hungari, e Scythia egreſſi, abundantia multitudine fuerint, oportet. Deſeruerunt enim patriam, eo quod praegravante regnum, licet fertiliffimum, multitudine, terra alendis eis non videbatur ſuffectura. Quibus capiendis neque Turrotzii ſeptem caſtra fuiſſe ſuffectura ſcribis. Sed enim haec ſeptem caſtra conſicta fuiſſe; nec ab***

iis,

---

(a) pag. 160.

(b) pag. 161.

iis, sed a septem ciuitatibus Saxonis septem ca-  
 itrensem Transiluaniam dictam esse, Trösterus o-  
 stendit. (a) Tu vero, postquam illa, quasi septem  
 capitanei Hungarorum eadem excitassent, acriter  
 oppugnasses, vel potius aerem verberasses; quae-  
 ris: (b) *Quid iam de anonymo censendum, qui vni-  
 uersam Hungarorum ciuitatem, auctam Cumanorum  
 ciuitate prope aequa, auctam Rutbenorum quinque  
 millibus, auctam in Russia multiplicitate rerum ex  
 usu futurarum; qui, inquam, hominum numerum  
 prope innumerum moenibus arcis Vngensis concludit?*  
 Quam grauis amplificatio! sed nondum satis. Prae-  
 fertim, inquis, quod Arpadus perinde, quasi spatii  
 amplitudine abundans, omnes bello captos hostes, ca-  
 tenisque onustos in arcem eandem compingendos man-  
 darit. Quantum aedificium, super arenam excita-  
 tum! Tu quidem anonymum ludibrio hisce nugis  
 exponere conaris; sed, quia nullum est eiusmodi  
 cauillationum in eius narratione fundamentum;  
 teipsum prudentibus grauibisque lectoribus deri-  
 dendum et fastidiendum obiicis. Nam, praeter-  
 quam quod anonymo prorsus inepte velis appin-  
 gere, quasi totam gentem Hungarorum, cum fo-  
 ciis Cumanis et Russis, Vngensibus muris inclu-  
 dere voluisset; illud alterum de captiuis plane pu-  
 tidum est. Per quos enim hi capti sunt? Vtique  
 non per illos, quos prae metu muris inclusos fin-  
 gis. Iam igitur, quum Arpad dux, vt anonymus  
 scribit, (c) *missis exercitibus suis, totam terram,  
 quae est inter Thisciam et Budrugb vsque ad Vgc-  
 sam, sibi cum omnibus habitatoribus suis praeoccu-  
 pavit;*

H 2

(a) *Libr. I. Cap. XV.*(b) *pag. 162.*(c) *Cap. XIV.*

*pauit*; non omnes, vt comminifcebaris erant prae metu muris inclusi; iam igitur locum habuerunt captiui. Vide, quam leui halitu murus, e palea confectus, difiletur.

LXVIII. Sed magis graui viro ftomachum mouere potest haec amplificatio: (a) *Sed hic noua rursum enafcitur quaefitio, vnde fcilicet tot Arpado catenae?* cet. (b) *Refpondebo; fi prius mihi refponderis, an omnes vel praecipui tantum obfidum inftar catenis vinciri debuerint; an vna catena plures, quam vnus, ligari potuerint; an inter Slanos victos aliquae catenae, quas ad vsum suum prius adhibebant, inuentae fuerint; an, poftquam ad carceres aliqui, catenis vincti, deportati funt, eadem catenae pro vincendis aliis adhiberi potuerint; an non etiam funes et lora loco catenarum, a quibus tamen potior denominatio manebat, feruuerint.* Sed nolim vltra patientia lectorum abuti, quum facile videant, putidas id genus amplificationes rhetoricas, fi cribro nonnihil excutiantur, nonnifi fauillas et cineres relinquere, certiffimumque paupertatis et argumentorum inopiae fignum effe. - De Hungarorum appellatione variae funt auctorum fententiae, nec epitaphium, e Baronio recitatum, quicquam euincit. Illud enim appofitum *Hungari* nomen, quod nondum anno 744. cognitum erat, ferius excitatum fuiffe docet. Ceterum, etiamfi hic anonymus coniecturae fuae contra fententiam aliquorum indulferit; nihil tamen contra veritatem rerum geftarum fcripfit.

LXIX.

(a) pag. 163.

(b) *Vid. praefat.*

LXIX. CAPITE III. nouos anonymo hostes Bulgaros opponis; dum regnum *Bulgaricum*, quod *anonymus* intra *Tibiscum* et *Granum fluios* - designat, confictum esse contendis. (a) Promittis autem, *Belae* notarium nonnisi secum ipso et cum vicinarum gentium coaeuis scriptoribus contendendum ac ipsis etiam eius verbis conficiendum esse. Magnifica haec promissa iam alias etiam audiuimus, expleta nondum vidimus. Experiemur hic, an non tandem in fine motus velocior sit et argumenta solidiora pro fine reseruata. De *Bulgaris* igitur e *Strittero* nonnulla praemittis ac deinde subiungis: (b) *Quo fit, ut toto errare coelo necesse sit anonymum, qui a morte Attilae, rebus humanis an. 454. exenti, magnum Reanum, auum ducis Salani, an. 888. ad Tibiscum dominantis, auxilio Graecorum in Tibiscanam Hungariam adducit.* Plures iam te *historicos* euoluisse, non est, cur dubitem. Ab iis argumenta, quibus alter alteri quidpiam persuadere vult, saepe referri, quin ea probent, utique non semel animaduertisti. Quot id genus orationes, quibus contraria saepe suadentur, adeoque non ex animi sententia promuntur, vel in vno *Liuiio* legisti? Non absimili modo *Rutheui*, quo suam regionem *Hungaris*, hospitibus formidandis, liberarent, transitum illis in *Pannoniam* suaserunt, vtque facilius persuaderent, fertilitatem illius terrae dilaudarunt, eiusque subiugandae facilitatem insinuarunt, illam inter plures populos esse diuisam innuendo. *Tunc*, ita rem hanc *anonymus* refert, (c) *dux Galliciae ceterique confocii*

H 3

sui,

(a) pag. 164.

(b) pag. 165.

(c) Cap. XI.

sui - Sic Almu ducem et suos nobiles rogare coeperunt, ut ultra Hovos versus occidentem in terram Pannoniae descenderent. Dicebant enim eis sic, quod terra illa nimis bona esset, et ibi confluerent nobilissimi fontes, quorum nomina haec essent - - quae etiam primo fuisset terra Attilae regis, et mortuo illo, praeoccupassent Romani principes terram Pannoniae; usque ad Danubium vero collocauissent pastores suos. Terram vero, quae iacet inter Tibisciam et Danubium, praeoccupauisset sibi Reanus magnus, dux Bulgariae, auus Salani ducis, usque ad confinium Ruthenorum et Polonorum, et fecisset ibi habitare Sclauos et Bulgaros. cet. Rursus hi Slaui et Bulgari, quo molestos metuendosque hospites a se longius amolirentur, (a) laudabant eis fertilitatem terrae illius, et narrabant, quomodo, mortuo Attila rege, magnus Reanus, proauus ducis Salani, dux de Bulgaria egressus, auxilio et consilio imperatoris Graecorum, praeoccupauerat terram illam; qualiter etiam ipsi Sclaui de terra Bulgariae conducti fuerant ad confinium Ruthenorum. Vides igitur, hanc Bulgarorum et Slauorum, illam Ruthenorum orationem esse, quibus, siquid in hac narratione historica peccatum esset, adscribi deberet. Vides, me iam hic cessare posse, nec anonymum excusare debere; quum is aliorum dumtaxat errores referat, nec incolae huius regionis ante Hungarorum aduentum ad Hungariae historiam proprie pertineant.

LXX. Sed liberalius tecum agam. Ab anonymo hanc orationem historicam et confectam, et creditam esse concedam. Quid obmoues? A

morte

---

(a) Cap. XII.

morte Attilae, reponis, (a) ad Salani apud Bulgaros dominatum effluxissent anni circiter 38. supra 400. Hanc tantam temporis intercapedinem quomodo regnando experuerint tres duces, nempe Reanus, filius anonymus et nepos Reani aui Salanus, neque, si vim ingenio adhibeam, intellexero. Ne dicere possim, auum ab anonymo latiore sensu hic accipi, hoc responsum in notis hic occupasti: *Auum proprie ab anonymo accipi, liquet ex capite 55. ubi haec legas: „ Zulta dedit castrum construere Ruthenis, qui cum Almo duce, auo suo, in Panoniam venerant. „ Nescio, quae rhetorica doceat, vocem, quae proprie semel accipitur, in sensu minus proprio numquam accipi posse. Reanum auum Salani proprie hic ab anonymo non dici, discere poteras e sequenti statim capite, cuius partem superiore numero recitavi. Hic enim eundem Reanum non iam auum, sed proauum Salani fuisse refert. Sed neque hanc aliam vocem, proauus, ab eodem in proprio, sed latiore sensu summi, patet ex his Arpadi verbis: (b) Licet proauus meus potentissimus rex Attila habuerit terram, cet. et illis: (c) Mortuo Attila rege, atauo nostro. Quum igitur hic atauum, ibi proauum eundem Attilam vocat; nihil aliud, quam illum Arpadi fuisse progenitorem indicat. Quare non debebas tantam ingenio vim adhibere, quum tres tantum duces Bulgarorum et contra sensum anonymi commentus es. Accedit, quod anonymus, dum siue suum, siue ducum illorum sensum exprimit, non addat, Attila mortuo, statim Bulgaros*

H 4

ros

(a) pag. 165. - 166.

(b) Anon. Cap. XIV.

(c) Ibid. Cap. XXXVIII.

ros has terras occupasse. Nihil igitur repugnat, quominus dicamus, illum voluisse tantum exprimere has quidem terras olim Attilam possedisse; nunc vero Bulgaros obtinere, neglecta temporis interiecti historia, quae huc non pertinebat. Ita plane Turotzius quoque de Suatoplugo loquutus est, dum ait, (a) *regnasse post Attilam, ducem, vocatum Zwatapolug*. At sic anonymo nihil obesset, etiamsi verum esset, quod ais, *Bulgarorum nomen non nisi ducentis et amplius annis post Attilae mortem inclaruisse*.

LXXI. Sed nondum quiescis. Ex silentio Graecorum scriptorum arguis, (b) *nec auxilium Graecos Bulgaris tulisse*, et Reani Salanique nomen *in solo cerebro*, scilicet anonymi, natum esse. Si hoc argumentum tuum, quod *negatiuum* audit, aliquid probat; iam tu nec bellum illud, quod S. Stephanum cum Keano, duce Bulgarorum, gessisse patrii scriptores perhibent, admittere potes. Nec enim vel eius belli scriptores Graeci, vel Keani Bulgariae principum catalogi meminerunt. Satis est, Graecos meminisse transisfrianæ Bulgariae, cuius acta, tamquam secum minus coniuncta, non ea diligentia, qua cisisfrianæ, consignarunt. Lege Symeonem Logothe-tam apud Stritterum in haec verba: (c) *Bulgari, captiuis omnibus acceptis, tanta multitudine, ut et numerum vinceret, - in Bulgariam trans-Istrum fluiuium procul deportarunt*. Exstitit igitur Bulgaria transisfriana sub annum 813. Quando vero coeperit,

(a) Chron. P. II. C. III.

(b) pag. 166.

(c) Mem. T. II. p. 557.

perit; quam procul pertinuerit; quas clades acceperit vel victorias retulerit; Graeci scriptores memoriae non prodiderunt. Vides igitur, patere rimam, secus ac tu tibi persuadeas, (a) *per quam id, quod anonymus narrat, videamus.* Magis per hanc rimam ditio Bulgarorum *ultra citraque Tibiscum* videri potest, quam per illam, ex Lucio designatam, Suatoplugi regnum *ultra citraque Danubium.* Nec anonymus, quod eidem obiicit, *Bulgarorum ditiones Carpato Galliciaque terminatas fuisse;* sed *Slauos simul et Bulgaros ibi habitasse* scripsit, et quidem *Slauos de terra Bulgariae conductos esse.* Posses ambabus vlnis hoc anonymi testimonium amplecti, quo facilius Suatoplugi Slauos e terra Bulgariae tam procul emoueas. Res enim haec maiorem tibi difficultatem, quam prima fronte putaueris, faceffiuit.

LXXII. De Salankemenio non sententiam ego, sed coniecturam duntaxat proposui, his verbis expressam: (b) *Salankemenium hodiernum, non procul Titulio, Salani regia, situm, eius nomen conseruare videtur.* Videtur, dixi; quare, si tibi magis videtur *Slauicum Zeleni,* quam *Salani* nomen ad anonymi *Zolon* accedere; saxum illud *Slauonicum ad Salanum* protegendum, vt tibi humanissime cauillari libuit, non deuoluam. Acerbiora sunt illa, quibus meam meorumque testium fidem sollicitas. Si omnia, scribis de me, (c) *quae recitauit, veritati apprime congruerent; nibilo tamen magis narrationem anonymi fulcirent.* Ad testes ego tam

(a) pag. 167.

(b) *Hist. Duc.* pag. 26.

(c) pag. 169.

Francicos, *Aimonium*, *Fredegarium*; *gesta Dagoberti*, quam Graecos, *Nicephorum* et *Theophanem* prouocauit. Quaero hic ex te, vir excellentissimae fidei, *congruitne veritati*, quod ex Francis testibus retuli, *Bulgaros*, *Auaribus permistos*, *littem*, *circa duces abortem*, *armis diremissis*? *Congruitne veritati*, quod e Graecis scriptoribus asserui, *cum quarto Cubrati*, *seu Chrouati*, *filio nouam Bulgarorum coloniam inter Auares consedisse*? Verissima haec esse, neque me quicquam laudatis auctoribus affinxisse, eorum sententiae, quas e locis, a me designatis, excitasti, manifeste docent. Atqui haec duntaxat asserui, cetera tantum per coniecturam innui. *Bulgaros*, dicebam, *hoc loco* (intra Danubium et Tibiscum) *coluisse*, *Francici Graecique scriptores satis innuunt*. Innuunt, dixi, non asserunt. Nam, etsi haec in Pannonia contigisse dicant; quia tamen Pannonia saepe latiore sensu, quod supra vidimus, accipitur; et quia non tantum cis, sed etiam trans Danubium Auares coluerunt; non sine verisimilitudine dici potest, Auares non solam Pannoniam, regionem amoenissimam, his hospitibus assignasse; sed etiam intra Danubium et Tibiscum illos collocasse. An, quum Carolus, Eginhardo teste, (a) *Pipinum*, *filium suum*, *cum Italicis ac Baioaricis copiis in Pannoniam ire iussit*, eos tantum Auares, qui Pannoniam incolebant, bello peti voluit? An, quum Pipinus, *Hunnis trans Tizam fugatis*, transgrediendo Danubium, praeter vel contra praceptum patris egit, quod Auares etiam extra Pannoniam lacesserit? Ex his apparet, te nodum in  
scirpo

---

(a) *Vit. Car. M. ad A. 796.*

scirpo quaerere; quum alioqui iam supra quoque docuerimus, sub Hungarorum aduentum transistriam etiam Bulgariam existisse.

LXXIII. Sed nouum rursus nodum nectis; quum ista subiicis: (a) *Deinde eadem scriptorum loca aperte docent, Bulgaros, posteaquam ab Auaribus victi sunt, Pannonia eiectos et regionum limitibus separatos egisse.* At eademne docent, omnes Pannonia Bulgaros eiectos esse? *Balgaris superatis,* inquit Fredegarius, (b) *nouem milia virorum cum vxoribus et liberis de Pannonia expulsi.* Etiam si his IX. millibus Bulgarorum vxores et liberos non adnumeres; tamne pusillus Bulgarorum numerus arma sumere contra praepotentem Auarum gentem ausus fuisset? Vel igitur expulsi non sunt, nisi pertinaciores, vel, quod vero propius est, feditio haec in vno tantum rhingo fuerit excitata. Non enim putem cum Cl. Praio, (c) *contentionem, inter Auaros et Bulgaros obortam, cuiusnam regnum vniuerse deferendum esset, quod vnicbaganis Auares Pannonicos et Dacicis paruisse conflet.* Cum eodem igitur censeo, *litem fuisse de ducis praerogatiua,* non tam qui res in vniuersa Pannonia, quam in vno rhingo moderari solitus fuerit. Vides igitur, *eadem scriptorum loca non aperte docere, Bulgaros omnes Pannonia post cladem eiectos esse.* Sed fuerint omnes tunc electi; nonne post hanc cladem, quae contigit sub A. C. 640. vt du Fresne habet, vel, vt alii, sub A. C. 630. noua colonia Bulgarorum inter Auares con-

(a) pag. 170.

(b) Cap. 72

(c) Ann. vet. pag. 250.

confedit sub A. C. 666? Nonne quartus Crobatii filius, teste Theophane, (a) in *Pannoniam Abaricam*, *chagano*, *Abarum principi*, postmodum subdendus, cum omnibus suis copiis transiit? Haec tu nosti, legisti, Theophanem totidem verbis excipisti; et tamen eadem pagina mihi sic insultas: *Quare id, quod Cl. Katona subiungit, Bulgavos, cum Auaribus eadem victoria fractos et ad Tibiscum deportatos fuisse, rursus ab vero abhorret; quum scilicet Auares vltima clade a Carolo M. affecti fuerint in Pannonia, e qua Bulgari iam dudum exacti fuere.* Hoc est, Bulgari qui venerunt sub A. C. 666. vel serius; iam dudum exacti fuere, seu sub A. C. 630. adeoque 30. et amplius annis prius pulsi, quam appulli. Hem chronologum eximium! Sed nempe chronologiam in hoc opere profiteri noluisti, quum illud tantum geographice, historice, critice te concinnaturum in titulo promiseris. Atqui critice nihil describes; nisi non tantum geographiam, sed etiam chronologiam in subsidium voces. Hi sunt duo historiarum oculi, quorum alterutro si careas; andabatarum more saepius impingas, est necesse. Quod nunc exemplo proprio satis superque discere potuisti. Tu tamen ita tibi hoc argumento caeco places, vt idem eadem pagina rursus his verbis inculces: *Accedit et illud, quod Bulgari confederint quidem primo in Pannonia, seque imperiis cagani Auarum vltro dederint; subinde tamen, vt loculente ex scriptoribus Francicis vidimus, ex Pannonia expulsi, alia ad habitandum loca obtinuerint.* Nihil ad repetitum hunc anachronismum addam, ne tibi ruborem augeam.

LXXIV.

(a) *Ap. Stritt. T. III. p. 505.*

LXXIV. At enim tu quiescere non potes ac ipse tibi hunc ruborem auges, dum ad nouum anachronismum ita transis: (a) *Nec istud satis. Ad eam sensim (Bulgari) assurrexere potentiam; vt Graecis formidini, Auaribus finitimis exitio fuerint. Quomodo igitur rursus cum Auaribus ad Anasum flumen deuenere?* Quia de Bulgaris expulsis paullo prius loquebaris; si nunc quoque hos intelligis ac innuis ad tantam potentiam assurrexisse; vide, quomodo cum hac sententia tua conciliare possis illam Fredegarii narrationem: (b) *Quum dispersi per domos Baiuoriorum ad hiemandum fuissent Bulgari; cum consilio Francorum Dagobertus iubet, vt Bulgaros illos cum vxoribus et liberis vnusquisque in domo sua in vna nocte interficerent. Quod protinus a Baiuariis est impletum; nec quisquam ex illis remansit, nisi tantum Alticeus cum DCC. viris, vxoribus et liberis, qui in marchia Winidorum saluatus est. Si vero Bulgaros alios, non ab Auaribus, sed cum Auaribus expulsos intelligis; iam fateri debes, non tantum Auares, sed etiam Bulgaros a Carolo M. profligatos esse. Si denique Bulgaros illos adeo potentes euasisse credis, vt debes, qui cum Auaribus permisti numquam fuerant; iam non rimam, de qua tam sollicitus eras, sed portam apertam habes, per quam id, quod anonymus de Bulgaris narrat, videas; illamque meam coniecturam, quam prius explosisti, confirmas: (c) *Hi subinde cum Auaribus a Carolo M. victi, versus Tibiscum propulsi sunt A. C. 796. Eosdem, seculo nondum circumactis, quum Hungari has in*  
oras*

(a) pag. 171.

(b) Cap. 68.

(c) Hist. Duc. p. 26.

oras penetrassent, easdem inter Tibiscum et Danubium plagas, quas anonymus illis tribuit, retinuisse, suadent attritae vires Auarum, quibus, a con sanguineis Maesiae Bulgaris adiuti, potentia praeualere facile poterant. Ita verosimilia satis euadunt, quae de sedibus illorum ex anonymo habemus. Sed hanc tu verisimilitudinem nouo, quem inuinaueram, anachronismo subuertere conaris. Vt tuum hunc errorem non tantum oculis videre, sed ipsis etiam manibus palpare possis; id primum a te quaero, quando Bulgari, non illi, quos, e Pannonia pulsos, Dagobertus e medio tolli iussit; sed tui Bulgari, Graecis et Auaribus formidandi, tantam potentiam assequuti sint; ante, vel post cladem, quam Carolus M. Auaribus intulit? Vt facilius ad hanc quaestionem respondere possis; in memoriam reuoces, quod ignorare non potes, bellum illud internecinum inchoatum esse A. C. 791. terminatum A. C. 799. Crumus autem, qui hanc captiuus Auaribus quaestionem posuit: (a) *Vnde putatis, vestrum ducem et totam gentem periisse?* Hic, inquam Crumnus, alias et Crumus, et Cremus, praeesse Bulgaris coepit A. C. 807. (b) quaestionem autem hanc Auaribus posuit suo A. C. 820. Iam igitur vides paratam responsionem ad sollicitam hanc interrogationem tuam: *Quomodo igitur rursus cum Auaribus ad Anasum flumen deuenere?* Respondeo tibi noua hac interrogatione: *Quomodo rursus Auares, quorum tota gens periuit, ad Anasum flumen deuenere!* Quomodo, postquam et illi perditum sunt, et Carolus M.

mor-

(a) Ap. Stritt. T. III. p. 562.

(b) Du Fresn. Illyr. p. 92.

mortuus est, ad Anasum Carolo M. resistere seu voluere, seu potuere? Fateor, me thaumaturgam virtutem mortuos suscitandi non habere, neque prius ad tuam quaestionem, quomodo Bulgari rursus cum Auaribus, quorum *dux et tota gens periit*, ad Ana um flumen deuenerint, respondere posse, quam tu sublato Auare vitae restituas, vt cum illis resuscitatis ad Anasum Bulgari deueniant, et Caroli magni si non manus, saltem manes ab ditionibus non iam Auarum, sed lemurum inuadendis impediunt. Tu tamen tibi plaudis et victoriam occinis, ac talis tantusque chronologus ex me sarcastice quaeris: (a) *Huiusne etiam rei testes tabulas clades Tartarica hausit?* Hoc scilicet meum de Belae notario iudicium traducis: (b) *In multis quidem aliis vnicus hic testis est; id tamen assensum nostrum morari minime debet. Quod enim vnicus sit, imputandum est paupertati nostrae iacturaeque multorum codicum, quos Tartarica rabies hausit. His ille vetustissimae memoriae fontibus ac domesticis testibus, quos nemo nostrum, nemo veteriorum, qui post Belae IV. tempora scripserunt, inspexit, et vti potuit, et vsum se fuisse, iam in prologo docuit. Ingenue tibi confiteor; si tot anachronismis anonymus iste scateret, quot vel vna haec pagina tua continet; numquam eius causam egissem, vel acturus essem.*

LXXV. Iam me piget has vmbas tuas inuadere: (c) *Quod si fas est admittere, Bulgaros propter vetustam quamdam necessitudinem, subinde duorum*

---

(a) pag. 171.

(b) *Hist. Crit.* p. 27.

(c) pag. 171.

orum fere seculorum spatio interruptam, in eam nihilominus societatem conspirasse, ut cum Auaribus vna Caroli M. victoria affligi et ad Tibiscum e superiore Pannonia eos propelli necesse fuerit; quis dubitet, eosdem rursus cum Auaribus a Tibisco Carnuntum inter et Sabariam imperatoris beneuolentia translatos? Misces quadrata rotundis. Prius de funditus sublatis et deletis, nunc de translatis Auaribus agis. Illosne Carolus Carnuntum inter et Sabariam transtulit, de quibus e Suida scribis: Abares igitur omnes - Bulgari funditus sustulerunt? ac deleuerunt? Illosne transtulit, quos ad Tibiscum e superiore Pannonia protulit; vel illos, cum quibus, ut annalista Metensis perhibet, (a) Zodar princeps Pannoniae, veniens, imperatori se tradidit? Inter hos an non etiam Bulgari fuerunt? Audi porro Metensem: Multi quoque Sclauii et Hunni in eodem comitatu fuerunt, et se cum omnibus, quae possidebant, imperatoris dominio subdiderunt. Sicut per Hunnos Auares, Hunnici generis, ita per Sclauos Bulgari, Slauici generis, intelliguntur. Alios certe fuisse Slauos, Auaribus infestos, ex hoc eiusdem annalistsae loco liquet: (b) Capcanus, princeps Hunnorum, propter necessitatem populi sui, imperatorem adiit, postulans sibi locum dari ad habitandum inter Sabariam et Carnuntum; quia propter infestationem Sclauorum in pristinis sedibus esse non poterat. Quem imperator benigne suscepit, eiusque precibus fauit, - - Eodem anno - misit exercitum suum cum filio suo Carolo in terram Sclauorum, qui vocantur Bebemi. cet. Denique Bulgaros eadem

---

(a) Ad A. C. 803.

(b) Ad A. C. 805.

eadem clade cum Auaribus haustos et inuolutos non fuisse, dicere poteris ex hoc Timonis loco: (a) *Sangellensis monachus in descriptione munitio-  
num subiungit, Carolum a Vulgaribus, vel Bulgaris, vim  
abstinuisse; quia, Hunnis extinctis, regno Franco-  
rum nil effecturi videbantur.* Postquam omnes quo-  
modocumque digestas difficultates aduersus ano-  
nymum, de Bulgaris loquutum, exhausti; magni-  
fico hoc epiphonemate tam gloriosum conflictus  
successum concludis: (b) *Ita nullo modo verisimilia  
sunt, quae de Tibiscanis Bulgarorum sedibus ex a-  
nonymo habemus.* Haec mihi regeris, qui nonni-  
hil modestius ita concludi: (c) *Ita verosimilia satis  
euadunt, quae de sedibus illorum ex anonymo habe-  
mus.* Inter meam tuamque concludi nem leue hoc  
discrimen inuenitur, quod ego dixerim: *Satis ve-  
rosimilia; tu contra: nullo modo verisimilia.* Vter  
rectius; lectorum arbitrium esto.

LXXVI. Bulgaris opinione tua domitis, aut  
potius anonymo per Bulgaros, vt tibi blandieba-  
ris, expugnato, transis ad Valachos, quos, in-  
quis, (d) *contra omnium veterum sensa hic noster  
Transsilvaniae dominos sub aduentum Hungarorum  
necquicquam facit.* Ex omnibus illis veteribus, qui  
negant, Valachos in Transsilvania sub aduentum  
Hungarorum dominatos fuisse, saltem vnum de-  
bebas excitare; ne videreris multa dicere, parum  
probare. Certe, qui tacent, non negant; sed po-  
tius consentire videntur. Taciturnis igitur testi-  
bus

---

(a) *Imag. A. H. L. II. C. XIII.*

(b) *pag. 172.*

(c) *Hist. Duc. p. 27.*

(d) *pag. 172.*

bus hic contenti non sumus, qui iam alias ostendimus, etiam vni deferendum esse; si contraria veteribus non narret. Sed enim tibi fatis est, hoc afferuisse, parum sollicito, num vnus aliquis anonymo contradicat. Quod Byzantini scriptores primam Valachorum mentionem iniiciant ad A. C. 1081. rectene potes arguere, non prius illos existisse? An repente, velut fungi, tunc primum excreuerunt, quando Graeci scriptores eorundem meminerunt? An nec Hungari, nec alii populi prius existerunt, quam eorum mentionem Graeci fecissent? Nempe Graeci non prius, quam aliquod cum iis commercium aut bellum habuissent, eorum notitiam habuerunt, et mentionem fecerunt. Valachos in Dacia cum Bulgaris permixtos fuisse, nullus dubitat: quod anonymus etiam his verbis insinuat: (a) *Et habitatores terrae illius viliores homines essent totius mundi; quia essent Blasii et Sclauii.* Facile credo, hoc testimonium, quo Transilvania Blasios inter et Sclauos diuiditur, propter appositum *viliores* tibi vehementer, et mea quidem sententia, merito displicere. Sed propter vnam voculam, quae hic anonymo minus cauto semel excidit, non debes implacabiles iras gerere. Sicut ille hic per *Blasios*, quos supra vocabat *Blachios*, intelligit *Valachos*; ita per *Sclauos* intelligi possunt illi Bulgari, quos eodem saeculo IX. quo Hungari prodiuerunt, ex Eginhardo Lucius ostendit (b) *trans Danubium ditionem habuisse*; nisi forte fuerint *Abotriti*, quos in *Dacia, siue Bulgaria transdanubiana* constituit. Quare huic assertioni  
 tuae:

(a) Cap. XXV.

(b) Libr. I. Cap. XVI. p. 87.

tuæ: (a) *Vidimus iam, Bulgariam finibus Daciae nunquam fuisse inclusam, tutius spongiam induxeris. Aliam quoque, quam subiicis, rectius exstinxeris. Nec enim ex anonymi verbis elicere potes, illum intelligere per suos Blasios eos Valachos, qui Romanum iactant genus.*

LXXVII. Quum a Dacia vastis locorum spatiis primas Valachorum sedes disiungis; (b) non bene Cinnamum intellexisse videris. Nec enim ille scribit, *Valachorum ingentem multitudinem ad Pontum Euxinum collectam fuisse; sed Leonem Batatzem ex locis, Ponto Euxino vicinis irruptionem in Hungariam facere iussum esse. Quomodo vero vastis locorum spatiis a Dacia disiungi poterant, etiamsi primas sedes ad Pontum Euxinum habuissent; quum olim eousque Dacia pertinuerit? Sed nempe tu pro Transilvania Daciam accipis, vbi Valachi numquam ante Belae IV. tempora habuisse videntur. Ideo nempe tibi non videntur; quia non videris vidisse vulgo notum Andree II. decretum, Saxonibus A. C. 1224. datum, in quo mentio *Blacorum* idemdem iniicitur. Sed, quid mirum, te huius diplomatis oblitum esse; quando verborum, e Cinnamo hac ipsa pagina citatorum, oblitus, Valachos *Italorum colonos quondam fuisse* negas, quod tamen illic innuitur. Litem igitur potius Cinnamo, qui communem hanc aetatis suae sententiam insinuat, quam anonymo, qui de Valachorum origine nihil affirmat, indicito. Subinde populos, quibus honoris caussa tuos quoque *Marabenses* adiungis, Daciam*

(a) pag. 173.

(b) pag. 174.

populatos, enumeras ac interrogas: (a) *Soline Valachi inter tot tam efferatarum gentium arma non modo non cladibus attriti, non tot torrentibus sanguinis absorpti; sed ad clauum etiam Daciae eluctati sunt?* Ad difficillimam hanc quaestionem paucis respondeo: constat, *absorptos non esse; quum constet, illos hodieque supereffe. Tu videris, quomodo docturus sis, quo subinde tempore, quibus ex locis, qua via, quo pacto, pedites, an equites, an curru, post Hungarorum in Daciam aduentum, eo deuenierint. Nunc illos ibi habere, nuperini tumultus satis ostendunt. Sub aduentum etiam Hungarorum eosdem illic fuisse, Belae notarius, cui nullum testem opposuisti, perhibet; non tamen perhibet, illos ad Daciae clauum eluctatos esse. Blasiis et Sclauis aliquam tantum Transilvaniae, non totius Daciae, portionem attribuit. Alioquin, subiicis, Marahenses ibi rerum potitos fuisse, supra ex Porphyrogenito docuimus. Ex Auentino, classico tuo, dixisses. Nam Porphyrogenitum tibi non fauere, nos quoque supra docuimus. Atque haec est causa, cur Daciam aduersus anonymum tantopere propugnes, vt nempe tuos ibi Marahanenses facilius colloques. Si Slaus, ab anonymo Blasiis adiunctos, Marahanenses feceris; poterunt hi per anonymum ibi dominari. Tunc proiecto nulla necessitas erit dicendi, totum Valachorum, qui Marahenses inter se passi fuerint, in Dacia dominatum ab anonymo confictum esse.*

LXXVIII. Postquam anonymum nec Russi, nec Bulgari, nec Valachi, quanti hostes! expugnare

gnare potuissent; alios in illum hostes, generosos Croatas, Hungaris alias coniunctissimos, excitas. Sed, quia nihil aduersus argumenta mea, quibus anonymi narrationes verisimiles reddidi, (a) praeter leues coniecturas, nullo veterum testimonio firmatas, opponis; facile saluus etiam hic Belae notarius abibit. Certam causam idoneam non reddidisti, (b) *cur Muntimirus - epocham Franciae regum, quod ab eius patre Tirpimiro factum est, suo diplomati non praeposuerit.* Quod indicat, eum regibus Franciae sub aduentum Hungarorum subiectum non fuisse. Quod autem, ut obseruas, (c) *epocham Hungariae ducis itidem non praeposuerit;* nihil obest, quum id Hungariae duces, harum adhuc consuetudinum rudes, non exegerint. Haec vero Croatarum subiectio prorsus amica fuit, ad eum fere modum, quo caganus Chazariae, teste Porphyrogenito, (d) *voluit, ut sibi subesset Turcarum boebodus, cui prius uxorem dedit Chazarum nobilem.* Credibile, Hungaros eandem cum his amicitiam coluisse, quam cum Belo-Chrobatis, quos Constantinus perhibet (e) *affinitatem cum Turcis et amicitiam contraxisse.* Credibile porro tibi non apparet, omnia plane monumenta oblitterata fuisse, ex quibus tempus modumue, quo memorabilem plane Croatiae iacturam rursus fecere Hungari, tamquam ex vestigiis legeremus. Haec, ut cetera, leuia sunt. Quo tempore modoue Hungari Pannoniae Sauriae iacturam fecerint; ex nullo monu-

I 3

mento

(a) *Hist. Duc. p. 343. seq.*(b) *pag. 176.*(c) *pag. 177.*(d) *De adm. imp. C. 33.*(e) *Ibid. Cap. 30.*

mento docere possumus : et tamen non tantum credibile, sed plane certum est, eam iacturam factam esse; quum Rado palatinus afferat A. C. 1057. (a) *totam prouinciam illam se sanctae coronae reedificauisse et iterum acquisiuisse.* Nec enim iterum acquiri potest, quod prius acquisitum non est; licet nec modus, nec tempus iacturae possit ex vlllo monumento doceri. Quod pariter de Croatia dicendum est, cuius ego iacturae tempus ita per coniecturam proposui : (b) *Attritis autem per cladem Augustanam Hungarorum viribus A. C. 955. videntur Croatae mediterranei maritimique se Graecis subicisse.* Constat enim, Dircislaum regis titulum vsurpare iam A. C. 994. suoque diplomati Graecorum imp. nomina praefixisse A. C. 1000. In fine ius Marahensium vltra Drauum iterum persequeris, quod ego maiori iure iam alias intra *figmenta* reposuisse mihi videor, quam tu Hungarorum in Croatia ius, quod anonymus armis Arpadi partum asseuerat.

LXXIX. Hinc longius anonymum in Bulgariam et Macedoniam abducis eique vitio vertis, quod has prouincias ab Hungaris subactas fuisse narret, ac tandem ita concludis : (c) *Haec quoque bella nonnisi ab solo anonymo debellata sunt.* Ne videatur haec bella solus anonymus debellasse; iuuat vnum e pluribus Graecis scriptoribus socium illi Leonem Grammaticum addere, qui de Hungaris, a Leone Sapiente contra Simeonem, Bulgariae

---

(a) *Hist. Duc. pag. 347.*

(b) *Ibid. pag. 346.*

(c) *pag. 178.*

riae regem euocatis, ita loquitur: (a) *Turci, traiecto Danubio, totam Bulgariam captiuam fecere. His auditis, Symeon mouet aduersus Turcos. Illi, in contrariam ripam transeuntes, cum Bulgaris certamen ineunt, ipseque Symeon in fugam vertitur, vix Distræ receptus incolumis.* Si hic tibi testis non sufficit; eadem apud Porphyrogenitum, continuatorem Theophanis, Georgium Monachum, Symeonem Logothetam, Cedrenum, Zonaram legere potes. Adhucne solus anonymus haec bella debellasse tibi videtur? At Bulgaros certe non subiugarunt. Parum refert, si minus proprie hoc vocabulum anonymus adhibuit. Bella certe gesta cum Bulgaris eorumque captiuos non confinxit; adeoque de *diffatis* eius *inaniis* inaniter gloriaris.

LXXX. Post haec narrationem anonymi cum Turotziana contendis ac ista demum subiicis: (b) *Non cohaeret itaque anonymus Belae notarius Turotzii anonymo.* Hoc nemo negat. Id vnum quaeritur, vter magis ad veritatem accedat. Ignorauimus autem, anonymum Turotzianum, qui su<sup>a</sup> chronica concinnauit anno 1358. *peraeque fere vetustum* esse cum Belae notario, qui, quod supra iam inuimus, si Belae I. notarius erat; vixit seculo XI. Si Belae II. vel III. seculo XI. si quarti; seculo XIII. Prius igitur vno fere seculo, quam anonymus Turotzianus; duobus, quam ipse Turotzius, qui quod e suo duabus quoque primis partibus aliquid affuerit, apparet ex Part. I. Cap. VIII. vbi historiarum summi pontificis Pii, qui post medium seculi XV. vixit, meminit. Non

I 4

pot-

(a) *Ap. Strutt. T. III. p. 616.*(b) *pag. 179. 180.*

potest igitur hic et eius anonymus cum anonymo nostro *peraeque fere vetustus* dici. Verum paullo post vtrumque simul anonymum aggredieris, quum ista subiicis: *Nec - poterant his anonymis vera Hungariae bellorum monumenta prae manibus esse; alioquin in tam diuersas sententias numquam discessissent.* Dixisses: alterutri horum anonymorum; sed vtrumque tu coniungis, id est, omnes patrios scriptores, qui his fontibus vtuntur, e manibus nostris excutere conaris, vt tandem nouam Hungariae historiam e tuis figmentis, ad augendam Suatoplugi gloriam et potentiam, condere possis. Sicut autem tu quaeris, *unde constet*, Attilam in Bohemiam *ditiones suas protendisse*; ita vicissim ego quaero: *unde constet*, non protendisse? Anonymo, hoc affirmanti, tamdiu credam, quamdiu vetustiore illo testem, qui contrarium afferat, in lucem non produxeris. Liberalius tamen tecum agam; et vnum tibi Hadriani Valesii, veterum monumentis diligenter vfi, testimonium sistam. Is, quum Attilae, Gallias inuadentis, exercitum describit, ita loquitur: (a) *Sequebantur Attilam subiectae ei nationes: Hunni, Gepides, et Ostrogothi; - Alani, Bastarnae, Turcilingi, Scirri, Eruli, Rugi, Bellonoti, - Sarmatae, Burgundiones, - Quadi, Marcomanni, Savienses; et inter voluntarios Toringi, Franci, - Bructeri.* Quum igitur Valesius voluntarios a subiectis populis diserte distinguat; liquet, vt optime hinc Cl. Praius arguit, (b) *Marcomannos et Quados Attilae subiectos fuisse.* Quod autem anonymus *ma-*  
luerit

(a) *Rer. Franc, L. IV.*

(b) *Annal. veter: p. 142.*

luerit ad aetatis suae morem terras, ab his olim possessas, *Bobemiam* potius, quam *Marcomanniam* et *Quadiam* appellare; non aeterno propter hoc delictum exilio, sed aliquo mitiore supplicio castigandus esse videtur. Quod vero *Coimas* Praegen-  
 sis montis *Zobor* iam ad annum 894. meminerit; nihil profus anonymo nocere debet; partim quod ante hunc annum *Zoborius* ibi suspensus ei nomen indiderit; partim quod *Cosmar* saeculi XII. scriptor, eo nomine, quod eius aetate iam in usu fuit, hunc montem appellare potuerit.

LXXXI. Vix a me possum impetrare, vt reliquis vmbriis, quas hic proponis, dissipandis immorer. Ne tamen difficultatibus, quae nullae sunt, victus videar; pauca tibi responsa dabo. Ex eo, quod omnes, id est, aliquos obsides, ex harum orarum incolis, miles *Hungaricus* ad *Arpadum* duxerit; infero, (a) *Zultam* necesse non habuisse metas regni ad *Marauam* figere, quos dudum antea victor belli fixit *Arpadus*. Quasi vero metae regni saepius etiam postea renouatae non fuissent. Inspice comitorum articulos; quoties hanc curam in iis resumtam leges? quoties etiam contributionum rationem immutatam inuenies? Sed haec leuiores sunt; illud inextricabile, a quibusnam hoc tributum pendendum fuerit; ab iisne, qui vltro imperia *Arpadi* capessuere (cur non etiam ab iis!) an ab iis, qui ferro manibus post terga reuincti, nec numerandi, nec merendi aeris copiam habuere? Hic est inextricabilis ille nodus, quem militares praefecti non facile vel adhibito gladio dissoluere poterunt. Respondeant enim, an, quum

(a) pag. 181.

obsides e ciuitatibus vel bello captis, vel vltro deditis, accipiunt; illi, qui remanserunt, imperatum aēs soluere debeant; an obsides, qui *nec numerandi, nec merendi aeris copiam habent?* Magna profecto consideratione digna haec est difficultas, ad quam hucusque belli duces non satis animum aduerterunt, quum summam aeris pendendam ac interim obsides imperarunt; et tamen *inextricabilis* est. Quis non videt, quanta mihi patientia sit opus, quum leuibus hisce nugis occupor? Iam illud, quod sequitur, sine stomacho legat, qui potest: *Ipsarum quoque catenarum vnde rursus tanta copia, excisis iam Quadis, qui orbium ferratorum nexui operam perfacile nauare poterant?* Et mei loco quisicumque demum respondeat, an excisorum Quadorum manes sollicitandi fuerint, pro catenis conficiendis, quibus aliquot obsides vinciri potuerint.

LXXXII. Quamuis in adnotatione Cl. et Illustrissimum Palma carpas, quod ex anonymi testimonio politicae sapientiae laudem Arpado non tribuerit; eadem tamen pagina rursus *omnem* anonymo fidem adimis, quum ita bilem in eundem effundis: (a) *Multa ad haec superant in eadem historia, quae fictis, quam veris narrationibus propria, OMNEM fidem auctoritatemque tollunt.* Haec ita iam in vnam veluti hastam accipis: *Anonymus docet, (b) ducem Zulta hereditarium accepisse a patre supremi fastigii honorem; contra Cl. Pray id nullo pacto fieri potuisse adstruit, (c) Cl. hic auctor loco citato*

---

(a) pag. 182.

(b) Cap. LIII.

(c) Ann. vet. pag. 370.

tato paucis hisce verbis non tam sententiam, quam opinionem suam innuit: *Itaque quod nostri de Zoltan, Toxi parente, produnt, a veterum testimoniis VIDETVR abhorrere.* Verum quidem est, eundem antea quoque non tam affirmasse, quam coniectasse, hic anonymum errasse; quum Stiltin-gum sequutus, insinuat, (a) *nullum VIDERI post Arpadum in principatum totius gentis successisse, antequam Toxus, eius nepos, eligeretur;* re tamen subinde magis excussa, tam in vita S. Stephani, quam in dissertationibus Zoltanum Arpadi succesforem agnoscit. *Zultas, inquit, (b) seu Zoltan, postremus natu, patri successit anno 907. vt Belae notarius cap. 53. notat.* Et paullo post: *Nec placet illud Stiltingi nostri, quod ab Arpado vsque ad Toxum non fuisse Hungaris supremum principem scribit.* Alibi clarius errorem suum ita retractat: (c) *Male in annalibus - scripsi, ab obitu Arpadi vsque ad Toxum non fuisse Hungaris supremum principem, quem errorem in dissert. de sacra dextra S. Stephani regis iam correxi.* Haec te non legisse, qui toties ex his dissertationibus arma depromis, quis tibi persuadeat? Certe vel in historia ducum, a me concinnata, quam toties exagitas, legere poteras. (d) Et tamen sciens, volens, non iam auctoritate, sed errore Cl. viri, quem ipse confitetur, ad infirmendam anonymi fidem abuteris? Quae haec seu fides, seu rabies in anony-mum, in quem, araneos, non apes imitatus, ma-  
la

---

(a) *Ibid. p. 344.*

(b) *Vit. S. Steph. p. 118.*

(c) *Diss. X. p. 233.*

(d) *pag. 270.*

la tantum testimonia colligis ; bona silentio praeteris ?

LXXXIII. Iam pridem *inexpugnabilem* illam pugnam exspecto, qua promittebas (a) *expugnatum a seipso anonymum, a semetipso et fide, et omni in historiis auctoritate exuendum*. Nam hucusque quidem alios dumtaxat ad illum expugnandum hitoricos et populos infeliciter excitasti. Iamque putabam, te promissorum oblitum esse ; quum, ecce ! suis iam illum armis aggredere, et turpem in eius narrationibus oppositionem te reperisse gloriaris. Hanc igitur tantisper exploremus. Scripserat anonymus, (b) *fercula rusticis in vasis argenteis administrata fuisse* ; qui tamen alibi scripsit, (c) *vt tu refers, (d) Scythicam gentem, de qua Hungari, sapientissimam et mansuetam terram non laborasse*. Grande scelus ! inexpugnabile crimen ! *inexpugnabilis pugna !* qua seipsum anonymus expugnauit, omnem suam fidem prostituit, omnem in historiis auctoritatem amittit. In Scythia *rustici non dabantur ; in Hungaria dabantur*. Quanta haec oppositio ! quanta verborum pugna ! Nullam scriptor, verborum suorum adeo parum memor, fidem in historiis meretur. At, amabo, tantisper animo moderare : nonnihil cum anonymo mitius age ; nonnullam eius excusationem excipe. Scripserat ille, (e) *Scythiam abundare tam auro, quam argento, Scythas aurum, et argentum,*

(a) pag. 127.

(b) Cap. XLVI.

(c) Cap. I.

(d) pag. 183.

(e) Cap. I.

tum, et gemmas habuisse, sicut lapides; quid igitur mirum, si hic fercula nobilibus in vasis aureis, rusticis in vasis argenteis administrabantur? Praesertim, quum iam et Bulgariam spoliis exhaurerint, et magnam illam Suatoplugi potentiam euerterint ac ingentes illius thesauros sibi vindicauerint. An igitur in conuiuio tam celebri haec in usum suum Hungari conuertere non poterant? Non hic est, repones difficultas, sed, quod ipse Hungarorum in Scythia discrimen in nobiles et rusticos sustulerit, quod in Hungaria restituit. At, quomodo sustulit? quia dicebat *Scythicam gentem - terram non laborasse*; rus igitur non coluisse, nec proinde rusticos fuisse. Hem solidum argumentum, rursus a notatione nominis depromptum! Sed, quid si haec anonymus ex aliorum tantum mente dixit, vt his verbis innuit: *De quibus historiographi - sic dicunt?* Quid si haec de vetustioribus tantum Scythis intellexit? Quid si posterorum indoles subinde mutata fuit? Quid si rusticos in conuiujs non in strictissimo sensu, secundum quem a rure dicuntur, accepit? At certe, dices, quocumque sensu hanc vocem hic acceperit; discrimen tamen inter *nobiles* et *seruientes* fecit, quod antea sustulit. Atqui non sustulit. Nonne prius etiam *septem principales personas*, quas dicit (a) viros genere nobiles fuisse, cum suis filiis a vulgo discreuit? Nonne saepius Almo duci suos primates addidit? An igitur ipse Hungarorum ea aetate discrimen in nobiles et rusticos, seu plebeios, sustulit? Si haec est *inexpugnabilis illa pugna*, quam anonymo tam magnificis et formidandis

---

(a) Cap. V. VI.

dis verbis indicebas ; saluus est : sine pugna vicit. Me quidem pudet , in arenam cum vmbri illis descendere coactum fuisse , pretiosique temporis iacturam tam ludicra veitiatione fecisse.

LXXXIV. Post haec Pannicum illum terrorem in dubium vocas , quo omnes vicinae nationes percellerantur , ortum ea de caussa , quod nos sent , *Almum Arpadumque sanguine Attilae satum.* Caussam tuae dubitationis eam reddis , quod illae gentes , *Attilanarum primum copiarum iuxta et victoriarum sociae , repulsis per Gothos Hunnis , rursum - collectae ac novis subsidiis auctae in eodemque solo firmatae fuerint.* Gentes Attilanarum copiarum et victoriarum socias ex Valesio supra vidimus fuisse Gepides , Ostrogothos , Alanos , Bastarnas , Turcilingos , Scirros , Herulos , Bellonotos , Sarmatas , Burgundiones , Quados , Marcomannos. Has tu gentes ais in eodem hoc solo firmatas fuisse ? Supra iam admisisti , (a) *Gepidas a Longobardis de dominio eiectos et dispersos fuisse.* Constat etiam , Ostrogothos in Italiam , Alanos in Galiam et Hispaniam , alios alio subinde migrasse. Quas igitur gentes , Attilanarum prius copiarum socias , deinde hic et in vicinia firmatas , intelligis ? An Auares , an Bulgari , an tui Marahanenses etiam Attilanarum copiarum socii fuerunt ? Quid vero cum illis *Pannoniorum et Auarum solitudinibus* facies , quarum annalista Metensis meminit ; si hoc in solo veteres incolae firmati reipsa fuerunt ? Sed , quaecumque demum gentes illae fuerint ; *vigentibus adhuc recente memoria Attilae*

---

(a) pag. 78.

*tilae victoriis, a filiis eius arma abstinenda non putarunt. Vtique non putarunt; sed audi causam ex Theophane: (a) Tam amplam vero patris ditionem excipientes filii et ad se inuicem dissidentes, facile profligantur. Vrges deinde: (b) Quomodo tot circumactis temporibus personatus - Attilae abnepos siue Almus, siue Arpadus - omnes vicinas nationes metu exanimauit? Fuerit personatus, satis est, creditum fuisse, progeniem ex Attila, qui terror orbis erat, illum duxisse. Licet autem neque hoc creditum fuisset; satis est, nouam et armatam multitudinem Hungarorum in gentes has, ad bellum excipiendum minus paratas, irruisse. Si potuit irruptio repentina seu Tartarorum, seu Turcarum Hungaros imparatos metu percellere; hoc de gentibus nec ita potentibus, nec ita bello duratis in dubium vocare potes? His profecto ratiunculis, si solidiores adessent, numquam producendis, anonymi fidem et auctoritatem non tam infirmas, quam firmas.*

LXXXV. Tandem, tandem, nonnihil placatus et anonymo conciliatus esse videris, quum ais, (c) *non omni prorsus merito cassam anonymi historiam esse.* Hanc ego sententiam conciliare non possum cum ea, quam hoc eodem numero paullo supra pronunciaſti, *omnemque huic eidem historiae fidem auctoritatemque sustulisti.* Sed reuera hoc iudicium, ex Beliana praefatione decerptum, mox castigandum esse censes, tuam sententiam ita profers: *Incurius licet locorum et temporum,*

(a) *Ap. Stritt. T. I. p. 534.*

(b) *pag. 184.*

(c) *pag. 184.*

rum, omnia conuoluit, quin euoluat. Pulcre, sed non vere dictum. Nullum patria nostra historicum ex veteribus habet, qui maiorem locorum et temporum curam, maiorem tam geographiae, quam chronologiae rationem habuerit. *Multis tamen, addis, locis sub inuolucro et quodam quasi imitamento poetarum veritatem abscondit, ut appareat, multa cum vera de victoriis Hungarorum, sed quasi per nebulas, vidisse.* Has tu nebulas identidem obtendisti; sed, accenso lumine chronologiae, facile dissipatas ac in te repressas vidisti. *Valachos, pergis, (a) ab Hungaris victos prodit: si ad Pontum Euxinum, ubi Valachos latuisse diximus (sed perperam dixistis) haec affigas; non esse maius credibili dicas: si ad Transsiluaniam referas; falsa prodit.* Debet enim euacuari Transsilvania, quo tui Slauum locum ibi habeant. Sed enim, ad hoc euincendum, Auentinum non optimo consilio te viae ducem elegisse, iam ostendimus. Nec opus est, omnia, quae subiungis, apophthegmata tua percurrere, quae supra conuulsimus. Illud oraculum, velut e tripode prolatum, elegans est: *Sunt scilicet, ut somnia, in quibus, quae sensu diurno voluntur, multa satis vere, at confuse et indigeste, admixtis quibusdam nouis, non auditis antea imaginibus, amica quies reddit.* Horum dictorum, suadeo, memineris. Quum enim somnia; licet vera quaedam retulerint, haud immerito, tamquam vana et falsa, reicienda pronuncies; indignum esset, te huius somniatoris testimonio res tuas fulcire; ne, Iudaeorum instar, testes dormientes, de quibus S. Augustinus, adhibuisse videaris. Et tamen hoc fiet.

LXXXVI.

LXXXVI. Ad CAPVT IV. et vltimum tandem venimus, quo *vetustissimas Hungarorum sedes* constituis (a) *in Moldauorum regione, Tartariae Bessarabiaeque continuata.* Frustra sunt igitur omnes patrii scriptores, qui Hungarorum *vetustissimas sedes* in Asia semper adhuc quaesierunt. In Europa nati propagatique sunt; si nouum systema tuum audimus; et iam anno 836. Graecis cogniti. Sed enim duo Graeci scriptores, Leo Grammaticus et Georgius Monachus, idonei testes non sunt ad euertendam communem patriorum scriptorum traditionem, ad inueteratam etiam exterorum, ex Asia Hungaros educentium, sententiam vno quasi halitu difflandam; praesertim quum hi Graeculi tantum obiter *Vngrorum* mentionem iniiciant, ac eosdem mox iam *Hunnos*, iam *Turcos* appellent; quasi dubitarent, ad quam Hunnicae gentis partem auxiliares illi Bulgarorum contra Macedones socii pertinuerint; quum et alias tam Graeci, quam Latini scriptores plures Hunnicas nationes, *Hunnos*, *Vngros*, *Auares*, inter se confuderint. Ita Fuldenfis annalista: (b) *Auares, qui dicuntur Hungari.* Memineris, quid ipse inferius in simili caussa scripseris: (c) *Quamquam Chazaris Turcorum nomen saepissime indant Byzantini scriptores; id tamen omni cassum esse robore, iidem ostendunt historici, dum vagam plerumque et confusam notionem id genus gentium appellationibus subiiciunt.* Certe iidem scriptores *Auari-*

K

bus

(a) pag. 186.

(b) Ad A. C. 900.

(c) pag. 229.

bus saepicule Slauorum cognomentum adiungere, et Chazaros Bulgarorum insigniuere nomine: in quo si quaedam vis esset; vt Auares ad Slauos, ita Chazari ad Bulgaros, Slauicam gentem, indubie referrentur. Applica haec Hungaris, quorum illi scriptores ad A. C. 836. meminerunt. Vnde Cl. Praius itidem existimat, (a) per errorem vtrumque Graecum scriptorem Auares Turcorum nomine compellasse. Nec enim est verisimile, Hungaros vltra dimidium seculum ita quietos et ociosos in ea Daciae parte mansuros fuisse, vt, qui huc transgressi, torrentis instar, remotissimas Europae prouincias inundarunt, nihil post illud auxilium, Bulgaris allatum, tam longo temporis interuallo fecisse legantur; immo hic etiam a paucis Macedonibus fugati perhibeantur. Hoc sane magis congruit Auarum reliquiis, ad orientem protrusis, quam Hungaris, indole ferocissimis, vt annalista Metensis in haec verba testatur: (b) *Gens Vngarorum ferocissima - a Scythicis regnis et paludibus, quas Tanais sua refusione in immensum porrigit, egressa est.* Ex hoc igitur duorum Graecorum tam incerto testimonio nimis temere contra communem patriorum scriptorum sententiam statuis, (c) vetustissimas Hungarorum sedes tam a Bulgaris, quam ab Istro non remotissimas fuisse. Perperam etiam e Porphyrogenito, qui primum Turcas, deinde Patzinacitas ad fluuios Baruch, Cubu, Trullum, Prutum, Seretum coluisse scribit, concludis,

(a)

---

(a) *Annal. veter. p. 321.*

(b) *Ad A. C. 889.*

(c) *pag. 188.*

(a) *peruetustas sedes Hungaris in Moldauia, quam Prutus et Seretus interluunt, - fuisse. Fuisse quidem hic Hungarorum sedes, nemo negat; at vetustissimas, praeter te, nullus affirmat.*

LXXXVII. *Hungariam magnam, inquit Cl. Praius, (b) Rubruquisius, cum Aenea Siluio, ad Iaicum fluum locat; quam regionem ab incolis Batschariam, ex qua male Pascatir ortum est, passim dici, Plancarpinus perhibet, voce omnino per scriptorum oscitantiam corrupta; quam sine dubio Madscharia rescribendum sit. In hoc loco Porphyrogenitus etiam Mazaros, qui non videntur a Madscharis, seu Magyaris, distinguendi, constituit; quum Patzinacitarum limites ita describit: (c) Sciendum est, Patzinacitas a principio ad Atel et Geich (Volgam et Iaichum) flumina habitasse; iisque conterminos fuisse populos illos, qui Mazari atque Vxi cognominantur. Censet autem Cl. Stritterus, rectius etiam inferius pro Chazaris Mazaros legi, vbi Constantinus ita loquitur: (d) Ante annos vero 50 ii, qui Vxi nuncupantur, cum Chazaris (Mazaris) conspirantes, et coniunctis armis, Patzinacitas aggressi, superiores facti, sedibus eos suis expulerunt. Haec facta sunt, postquam pars Hungarorum in Europam emigrasset, ac eorum quidam, vt alias diximus, (e) ad Kiouiam in Lebedia confedissent sub an. 888. et annos tres cum*

K 2

Cha-

(a) pag. 189.

(b) Diff. II. p. 32.

(c) Ap. Stritt. T. III. p. 797.

(d) Ibid.

(e) Hist. Duc. pag. 108. 109.

Chazaris habitassent; alii vero regionem istam, Hungariam postea dictam, per Lodomeriam et Galliciam penetrassent anno 889. Quare superior in Constantino numerus, omnium opinione falsus, ita corrigendus videtur, vt anni 60. pro 50. rescribantur. Quum Patzinacitae, sedibus suis ab Vzis et Mazaris emoti, sedes alias quaererent, ac in Hungaros, in *Lebedia* triennio iam commoratos, inciderent; partim vt cladem, ab eorum cognatis acceptam, vindicarent, partim vt in hac eorum regione sedes nouas collocarent, praelium cum illis, magnis terrarum spatiis inter se diremtis, commiserunt ac eosdem illinc exegerunt sub A. C. 890. Hungari, nouas sedes in locis *Atelcusu* nuncupatis quaerere coacti, hinc etiam ab iisdem Patzinacitis quinto post anno pulsi, demum *Morauiam magnam* cum reliquis regionibus aditis occuparunt.

LXXXVIII. Has tres Hungarorum in Europa sedes Constantinus ita distinguit ac describit: (a) *Turcorum gens olim prope Chazariam habitabat, in loco cui cognomen LEBEDIAS. - Habitatant autem cum Chazaris annos tres. - Bello autem inter Turcos et Patzinacitas - exorto, Turcorum exercitus deuictus fuit. - Altera pars occidentem versus sedes posuit cum boebodo suo ac duce Lebedia in locis ATELCVSV nuncupatis. - Post aliquot vero annos, Turcos inuadentes Patzinacitae, eos cum principe Arpade persequuti sunt. Turci itaque profligati, fugientes, et terram ad sedes*  
col-

---

(a) *Ap. Stritt. T. III. p. 607, 608, 609, 610, 611.*

collocandas quaerentes, magnam MORAVIAM ingressi, incolas eius expulerunt ibique sedes suas posuerunt. His ita digestis, videamus, quomodo vetustissimae Hungarorum in Moldavia sedes esse potuerint. Prima sedes eorum Europaea fuit in *Lebedia*; sed haec, vbi cumque demum constituitur, vetustissima dici non potest; quia tres tantum annos illic eosdem habitasse, Constantinus asserit; adeoque non semper illos ibi habitasse, huc aliunde venisse, satis innuit. Hinc exacti, sedes suas in locis *Atelcusu* nuncupatis posuerunt; vbi scilicet flumina laudata: *Baruch*, *Cubu*, *Trabus*, *Prutus* et *Seretus* inueniuntur. Neque hae sedes vetustissimae dici possunt; quum et inde post aliquot annos a Patzinacis eieci fuerint, vt ex Constantino vidimus. Quare nouum systema tuum, quo vetustissimas Hungarorum sedes in Moldavia deligis, vehementer labascit; non secus ac illud, quo rursus *Magnam Morauiam* prope *rudera pontis Traiani in Maesia* constituis, (a) iam supra concidit.

LXXXIX. Illud vehementer miror, te non tantum Porphyrogenitum ad nouas opiniones tuas fulciendas detorquere, sed ipsum etiam Turotzius in tuas partes trahere velle; ne scilicet solus esse videaris; illum, inquam, Turotzius, qui Hungaros in has terras per *Susdaliam*, inducit. (b) Exponis tu quidem et explicas alia loca, quae Turotzius commemorat; (c) at *Susdaliam*,

K 3

liam,

(a) pag. 191.

(b) Chron. P. II C. I.

(c) pag. 192.

liam, vt Rhodum aliquam, vsitato iam tibi saltu transmittis. *Ab hoc itinere, sic incipis, (a) quod Constantinus Hungaris tribuit, vix ac ne vix quidem discedit Turotzius. - At vero, sic finis, (b) anonymus Belae notarius longe ab his discedit. Atqui hic perinde Susdaliae, Kiouiae, Houos, seu Turotzianarum alpium, meminit. Quia tamen prodigiosas illas aquilas, quae, secundum Turotzius, de arboribus, tamquam muscae descendebant, et consumebant deuorando pecora eorum et equos, et arduos illos montes, quos nonnisi spatio trium mensium Hungari superare poterant, silentio praeterit: quid mirum, ita concludis, (c) si eius narratio, dissona externis et domesticis Scriptoribus, a re et veritate tota aberrauit caelo? Nescio, quibus externis consona sit Turotzii narratio, qua non tantum aquilas et montes illos, sed etiam Susdaliam in historiam suam intulit. Quanti strepitus propter hanc Susdaliam in anonymum sunt excitati? Turotzius illam non tantum in Hungarorum, sed etiam Hunnorum ingressu iam exstitisse perhibuit; (d) et tamen illi dissimulatur, anonymo contra, qui minus dixit, vitio datur. *Dat veniam coruis.**

XC. Post haec ex Leone Grammatico narras, (e) quomodo Hungaros Leo Sapiens aduersus Bulgaros euocauerit; quomodo Simeon, Bulgarorum rex,

---

(a) pag. 191.

(b) pag. 193.

(c) *Ibid. in not.*

(d) Chr. P. I. C. X.

(e) pag. 193. 194.

rex, bis ab Hungaris victus, cum imperatore foedus, cum Patzinacitis armorum societatem pactus, eosdem Hungaros inuaferit, et ad nouas sedes quaerendas coegerit. Dum vero contendis, (a) Hungaros, *desertis septemtrionalibus Danubii ripis terrisque; in meridionalem eiusdem fluminis partem, - inque regiones, Daciae oppositas, superato Danubio, transscenderunt, terrasque Pannoniae finitimas, quas nunc forte Seruia occupat, inuadant.* Lentius, lentius, obsecro, festina: breuem Hungaris moram ad tam periculosum iter indulge: noli caece tantum populum et exercitum in Danubium impellere! Mihi quidem, ne tantam multitudinem, inclitae nationis Hungaricae conditricem, manifesto discrimini committamus, necessarium esse videtur, vt prius iter et transitum exploremus. Danubius enim nonnihil maior est, quam fluuii Tirnaua, Tsermel, Gyöngyös; et nondum Hungari habent alas, e plumis et cera compactas, ad transuolandum suis humeris vel manibus affixas et aptatas. Tantisper igitur exspectemus, vt ad tantum flumen traiciendum necessarias sibi vel alas, vel naues instruant. Quid si Suatoplugus in Seruia, ceu ditione sua, quam Hungari petunt, cum armatis copiis paratus excubat, vt suam Morauiam, in Maesia positam, contra nouos hostes defendat? In praesentissimum periculum maiores nostri seque suamque familiam omnem coniciant; nisi se prius et armis, et nauibus aeratis, vt Eugenium postea contra Turcas fecisse legimus, muniant. Non est tam

iners Suatoplugus, vt periculo tam praesenti  
 suae ditionis indormiat. Nouit ille, Hungaros ab  
 anno 836. iam illic agere; nouit, eos cum Ma-  
 cedonibus ante suum principatum pugnam ad Da-  
 nubium commisisse; nouit, Bulgaros, vicinos su-  
 os, eorum vim iam expertos esse; nouit, novos  
 homines sua phylacteria dilatare velle. Quare  
 suis in Maesia ditionibus inuigilabit; copias suas  
 armabit; traiectum Hungaris imbres sagittarum pro-  
 hibebit. Scitum est, quanta sit artis et discrimi-  
 nis, fluuium etiam mediocre in conspectu hosti-  
 um traicere. Nihil hoc officit, inquires; scitum  
 enim idem est, hostes eludi posse, transitum ali-  
 bi simulando. Sed, vbi simulabunt? Maesiam in-  
 feriores obtinent Bulgari, a quibus pelluntur.  
 An ad illos fugient, quos fugiunt? Vtraque Mae-  
 sia diligenter ab hostibus custoditur. Sed, quic-  
 quid sit, Hungaris Danubius est traiciendus. In-  
 duciae nullae dantur. Nec per continentem iter  
 illis versus occidentem conceditur, qua securior  
 fuga capefferetur.

XCI. Amplificatione mea qualicumque prae-  
 missa, tuam nunc de catenis imitari lubet ac ex-  
 periri tantisper, an ea nauibus magis quadret.  
 Sit igitur. (a) *Vnde tot Arpado naues? Quan-  
 do tantum et vbi locorum, exstruxit nauium nume-  
 rum, vt omnibus Hungaris, ex Scythia secum e-  
 ductis, per Danubium traiciendis suffecerit? E-  
 Scythiane has secum naues Hungari tulere, vbi na-  
 uium conficiendarum exercitium viguisse nemo da-  
 cet?*

et? An in vetustissima sede sua portus pro nauibus aperuere, trabesque trabibus neccendas informauere, quos prior transeundi, quam naues instruendi cura tangebatur, ne ante fugam fugere viderentur? An, durante demum pugna, quum victoriam in Bulgarorum partes inclinantem viderent, sectores in siluas dimisere pro deiiciendis et in naues compaginandis arboribus? Imitatione finita, lectores arbitrentur, an mea materiam, amplificatione magis diguam, non complectatur; an difficilius non fuerit, instantibus a tergo hostibus, nullis antea comparatis nauibus, in aduersa ripa consistentibus armatis Marahanensibus, quos illic ille collocat, tantam multitudinem Hungarorum, per vastissimum eo loco Danubium, cum omnibus sarcinis et impedimentis, cum inermibus et armatis, traducere, quam pro vinciendis aliquot obsidibus catenas procurare.

XCII. Verum neque his tu difficultatibus moueris. Nulla cura tantae nationis conseruandae tangeris. Viderint Hungari, seu natent, seu volent; transire debent. *Istud, inquis, extra dubitationem ponit Constantinus Porphyrogenitus, ab his rebus tam exiguo temporum spatio remotus, ut ingentem fumum, e fatali regni Marabanici incendio surgentem, prope oculis spectaret.* Quanta motiua credibilitatis! Ergo denique Hungari Danubium transmiserunt: victis Bulgari non institerunt: Marahanenses rebus suis indormiuerunt: tantae multitudinis ad se transitum ociosis oculis aspexerunt: Hungaris iugulum vltro praebuerunt: incendia libere spargi permiserunt: Hungaros denique, priusquam ab Arnulfo contra Suatoplugum evocarentur,

rentur, ab occupando suo regno non prohibuerunt. Constantinus hoc scribit, et scribit ita, vt nihil expressius; *Hungaros ad nouas sedes inquirendas profectos, Morauiam magnam adiuisse* (sed non scribit, in aures dictum sit, Danubium cum tanto discrimine transmisisse) *Morauiae vero huius initia esse ad Belgradum* (sub rosa dictum sit, prius eadem ad rudera pontis Traiani defixerat) *Vt adeo, pergis, (a) ipsa circumstantia itineris* (pessime conficta) *a Belegrado ad Sirmium suadeat Pannoniam - accipi debere.* Quid hoc ad rem? Scimus, Belgrado versus Sirmium Pannoniam Sauiam procurrisse; verum non illud istic quaeritur; sed, an Hungari prius in Maesiam, tum in Pannoniam fugerint; an in hac fuga cum omni familia Danubium transmiserint; an hic Morauia fuerit et in hac parte Morauiae sedes fixerint.

XCIII. Constantinus igitur, ad quem velut anchoram, toties manus tendis, adeo tibi non fauet, vt potius aperte tuam opinionem his verbis iugulet: (b) *Turci litaeque profligati, fugientes, - magnam Morauiam ingressi, incolas eius expulerunt, ibique sedes suas posuerunt, tenentque etiam in hodiernum vsque diem.* Si magna Morauia fuit etiam in Maesia; hanc ingressi Hungari, pulsus eius incolis, sedes suas etiam ibi posuerunt, ac ad aetatem vsque Constantini retinuerunt. Age iam, dic, an Hungari Maesiam tamdiu retinuerunt? Tu procurfiones Hungarorum in Maesiam, qua-

---

(a) pag. 196.

(b) *Ap. Stritt. T. III. p. 610.*

quarum anonymus meminerat, aperte negas, ac anonymum eapropter fugillas; nunc iam, indulgentior factus, etiam habitationem et possessionem huius regionis eisdem concedis. En, quantum tibi Constantinus faueat.

XCIV. Fauet tamen, inquis, quum de Longobardis, in Italiam a Narsete vocatis, ita scribit: (a) *Tunc temporis Longobardi Pannoniam incolebant, quae nunc Turcorum sedes est.* Quid hoc iterum ad rem? Fuerint in sola Pannonia Sauia; fuerint etiam in reliqua Longobardi; hoc vnum istinc sequitur, aetate Constantini Hungaros Pannoniam illam iam tenuisse, quam antea Longobardi tenuerunt. An autem Hungari prius Maesiam, deinde Pannoniam Sauiam, demum reliquam occupauerint, inde nulla ratione sequitur. Ita tu his episodis extra rhombum diuagaris, vt mentem lectorum a statu quaestionis auertere possis.

XCv. Bellum Arnulfi cum Suatoplugo gestum narraturus, (b) inquis in *Auarum et Pannonum solitudines*, quarum annalista Metensis mentionem facit, easque constitutis in *Maesia Pannoniaque, tum ab Auaris, tum a Suatoplugo in solitudinem redacta.* Quis credat, Pannoniam, regionem adeo fertilem et amoenam tamdiu vacuam, et ita vacuam mansisse, vt, postquam a Suatoplugo vastata fuit A. C. 883. conualescere non potuerit, et  
ad

---

(a) *De adm. imp. Cap. 27*

(b) *pag. 197.*

(c) *pag. 198.*

ad aduentum vsque Hungarorum in tristi solitudine iacuerit? *Has tu solitudines ais (a) ad Tibiscum incassum quaerendas.* Parum refert, vbi cumque fuerint. Satis est, illas in Maesia non fuisse. Hoc enim quaeritur, an illas pererrando Hungari per Maesiam in Pannoniam venerint. Ad quam quaestionem resoluendam annalista Metensis, qui Maesiae Danubique traieci nec verbo meminit, nihil conducere potest. Immo, quum annalista Metensis dicat, Hungaros primo quidem Pannoniorum et Auarum solitudines pererrasse; deinde Carantanorum, *MARAHENSIVM* ac Bulgarorum fines infestasse; si Maesia Marahensium finibus, vt tu vis, inclusa fuisset; Panuoniam prius, quam Maesiam Hungari debuissent inuadere.

XCVI. Neque plus causam tuam adiuuat annalista Fuldenis, qui refert, (b) Arnulfum Pannoniam cum vrbe Paludarum Braxlaconi, duci suo, in id tempus commendasse. Hoc tu pronuncias (c) irritum futurum fuisse; si bella haec ad Vagum fluvium bellabantur. Brazlauo hoc mandatum accepit, bello iam cum Suatoplugo confecto; quid igitur hoc mandatum obstare potuit, quominus ad Vagum quoque bellum antea gestum fuerit? Immo, quid obstare potuit, quominus, etiam feruente bello, hic ab Hungaris, illic ab Arnulfo, alibi demum a Brazlauone Marahenses vrgerentur? Quia vero, profligatis illis, Hungari Pannoniae iam imi-

(a) pag. 198.

(b) *Ad A. C.* 895.

(c) pag. 199.

minebant; Arnulfus merito peculiarem eius curam Brazlauoni commendauit. Quid igitur in rem tuam deriuare potes ex hoc annalista? Quid etiam ex Luitprando? An, quod ille scribat, munitissimas interpositiones, siue *clusas*, ab Arnulfo depulsas esse; rite potes inferre, (a) *Hungaris viam ad Pannoniam Sauiam* illum aperuisse? vel confecto bello, (b) *Hungaros in partes Seruiae regressos esse*? Quanta haec vis, qua scriptores omnes tuos facere conaris? Quanta vero paullo post sine teste comminisceris? Suatoplugus igitur Hungaris vltro Seruiam obtulit, quam numquam habuit? et quidem Hungaris, hostibus suis. Vel poeta habet obligationem verosimilius fingendi.

XCVII. Obortis inter Suatoplugi filios diffusionibus, Hungaros e Seruia, velut e seruitute, tandem educis; sed illos simul ingratos facis, quod a Suatoplugo Seruia donati, nunc in eius filios arma stringant. Cur autem illos in Seruia tamdiu clausos tenueris, adductus es Aquileiensis chronici testimonio, quod de Friderico patriarcha haec habet: (c) *Huius tempore - Hungarorum gens, a Seruia egressa, in Pannoniam, quae adiungitur finibus ecclesiae Aquileiensis, venit; - quos Fridericus patriarcha repressit.* Quum Fridericum Afsemanus inter patriarchas collocet ab an. 884. ad an. 897. hic iam triumphas, ista subiungendo: (d) *Cui tempori mirifice congruunt ea, quae de occupata*

---

(a) pag. 200.

(b) pag. 201.

(c) *Ap. Rubeis p. 453.*

(d) pag. 202.

*pata Pannonia, seu Morauia narro.* Prouocas tu quidem ad Cl. Praium, qui hanc chronologiam ex Affemano depromferit; at, quia postera derogant prioribus; debebas etiam in memoriam reuocare, quid serius idem Cl. auctor in haec verba scripserit: (a) *Federicus post annum 901. patriarchatum adeptus est.* Quare nimis diu Hungaros per seueram sententiam tuam in Seruia captiuos tenebis; si nonnisi sub patriarchatu Friderici post annum 901. illinc eosdem emiseris. Quid in tantilla prouincia tanta multitudo tamdiu faciet; praesertim, quum nec in vicinam Bulgariam, nec in Macedoniam illos excurrere finas? Nec etiam video, quibus artibus hostes antea Bulgaros sibi conciliare potuerint, vt in tanta vicinia sine maleficio tamdiu permanserint. Haec mihi difficilia sunt explicatu; tibi facillima. Nam tu quidem illos, non expectato patriarchatu Friderici, contra Suatoplugi filios educis ac etiam victores in haec verba facis: (b) *Victoria post homines natos celeberrima Morauiam meridionalem magna ex parte, qua quidem Danubio perstringebatur, in ius ditionemque suam ferre incipiunt.* Vt tamen Aquileiensi chronico satisfiat; Pannonia dimissa, rursus in Seruiam redire debebunt. Ego, siquid huic chronico deferendum videatur; cum anonymo Belae notario (c) Hungaris, victo Salano, libertatem dedi, non ad solam Rasciam et Seruiam, sed in ciuitatem quoque Spalatensem, Croatiam et Pannoni-

---

(a) *Dissert. X. p. 235.*

(b) *pag. 203.*

(c) *Cap. XLII.*

noniam Sauiam excurrendi, vnde iam Aquileien-  
sis ecclesiae fines non procul aberant. En, quan-  
tos iterum nodos ipse tibi cum tua Seruia nectas!

XCVIII. Quum cetera Hungarorum bella, cum  
Morauis, Italis, Bauaris aliisque populis gesta,  
narras, (a) idemtidem in Seruiam sollicitè recur-  
ris, ne quis eam seu Morauis, seu Hungaris, do-  
nec tibi placuerit, eripiat. Ita numero VIII. *Hun-*  
*gari*, scribis, (b) *firmatis probe ad Savi ripas ul-*  
*troque ad Seruiam proiectis ditioibus suis.* Item:  
*Atque hoc tempus est, (an. 900.) quo primum Hun-*  
*gari in meridionali Danubii ripa latius sedes suas*  
*dilatauerunt, et imperium ab Seruia - prope ad limi-*  
*tes Pannoniae superioris explicuere.* Ita tu per exi-  
guas tantum portiunculas Hungaris hanc regionem  
distribuis, eorumque Martium impetum angustis  
longo tempore limitibus constringis, ac subinde  
contra communem patriorum scriptorū senten-  
tiam ita concludis: (c) *Viuentē Arpado, nihil ter-*  
*rarum in septentrionali et Tibiscana Hungaria pos-*  
*sidebant Hungari. Quod de eruto ab Hungaris Mo-*  
*rauiæ regno prodidere memoriae scriptores; totum*  
*hoc ad eam pertinet Morauiam, quae in Pannonia-*  
*rum et Maesiarum regionibus instituebatur. A te*  
*scilicet, sed in arena tantum, instituebatur, vt*  
*iam vidimus.*

XCIX.

(a) pag. 204. *seqq.*

(b) pag. 206.

(c) pag. 212.

XCIX. Ex eo, quod in expeditione Bauarica quidam Hungari, Danubium temere transgressi, quum a pluribus armatis illic exciperentur, reditum ad suos, in aduersa ripa relictos, per Danubium moliti fuerint; qui tamen interea praedam in Pannoniam retulerint; non video, quomodo probare possis, Hungaros in septemtrionali Hungaria, quum haec agerentur A. C. 900. nihil possedisse. An septemtrionalis Hungaria per aquilonarem Danubii ripam tam procul extendebatur, vt Baioariorum quoque terris, versus occasum porrectis, obiiceretur? An non Ludouicus, septennio post, etiam ad aquilonarem Danubii ripam, partem exercitus misit? An non igitur etiam illos Hungaros, qui septemtrionalem Hungariam possidebant, timuit? At, vrges, (a) cur Hungari, Baioariis interneccione deletis, Luitpoldum oppresfuri, *clamculum, amico noctis silentio vsi, flumen transgrediuntur?* Dignus omnino cortex, ad quem adhaereatur! Ergone hostis hostem de suis consiliis praemonere debet? nihil clam, nihil silentio noctis aduersus illum agere potest? Piget ceteras inanias persequi, quibus Hungaros e Pannonia iam occupata rursus emoues ac in regionem Iazigum Metanastarum transfers, vt ibi hospitium a Slaus, iam ante medium seculum domitis, emendicent anno 944. Legantur ea, quae hac de re iam alias commentatus sum. (b) Legantur excursiones, quas Hungari sequentibus annis in Graeciam et Italiam saepius susceperunt ac ab hostibus decem modios  
 numum

(a) pag. 215.

(b) *Hist. Duc.* p. 389.

numum idemtidem extorferunt. His lectis, apparet, Hungaros ad eas angustias redactos non fuisse, vt a Slauis, antea profligatis, hospitium emendicare cogentur.

C. His tu Slauis ita studes, vt etiam anonymum illum *somniatorem*, testem scilicet *dormientem*, audiendum esse censeas; vbi Slauis, quorum patrocinium suscepisti, fauet. *Sinamus*, inquis, (a) *eius auctoritatem valere in constituendis rebus Slauicis, quam in rebus Hungaricis magno rerum et verborum apparatu reiecinus*. Experti sumus, quo rerum et verborum apparatu reieceris; quem autem in finem reieceris, clarius iam experimur. Tamdiu scilicet anonymus somniabat, quamdiu regnum Moraucicum, a te conditum ac in Maesiam et Daciam immissum, euertere videbatur. Vbi vero Slauis ac nouo systemati tuo fauet: non amplius somniat, sed diligentissime vigilat. Amicus Plato, amicus Aristoteles, sed magis amica veritas. Amore huius veritatis, cui historicus omnis principem locum dare debet, non ex vllius odio nationis, quod ab omni Christiano procul abesse debet, omnem hunc laborem aggressus, aduersus tantam, quantam falsis coloribus et pigmentis adumbrasti, Slauicae gentis potentiam et magnitudinem calamum strinxi. Omnes, quotquot per vicanos et amplius annos meam disciplinam et institutionem exceperunt, testes appellare possum, an vllum in me nationis alicuius odium notaerint; an Troies a Rutulis distinxerim; an non, seu Troies, seu Rutuli fuerint, bonos promiscue

L

di-

dilexerim; malos, et hos, et illos, ad frugem reducere conatus fuerim. Firmiter igitur spero, ea, quae hoc examine protuli, neminem in finistram partem accepturum; sed omnem potius veritatis amicum eadem aequi bonique consulturum esse. Ne vero te, non tam aduersarie, quam amice, cuius non personae, sed caussae tantum inimicus eram, litium iam satur, diutius morer; vt iis, quae de Pragensis episcopatus terminis, ad Vagum vsque fluuium porrectis, istic disputas, satisfaciam; ad meam te historiam criticam remitto, (a) tibi que sancte spondeo, me, nisi firmiora deinceps attuleris, vnum tibi verbum, cum iactura pretiosi temporis vttiliorumque commentationem dispendio, non redditurum. Vale.

O. A. M. D. G.



CON-

---

(a) Tom. III. N. CCCXLI.

# CONSPECTVS OPERIS.

---

## LIBER I.

	Pag.
CAPVI I. Morauia vetus in Maesia non fuit.	4
CAPVT II. Nec in Dacia ;	54
CAPVT III. Nec in terra Iazigum Metanastarum ;	56
CAPVT IV. Sed inter Granum et Bohemiam.	60

## LIBER II.

CAPVT I. Definitur auctoritas anonymi	75
CAPVT II. Expenduntur eius narrationes de Hungarorum egressu	81
CAPVT III. Regnum Bulgaricum et Valachicum ab eo confictum non est	117
CAPVT IV. Vetustissimae Hungarorum sedes ab aduersario confictae sunt.	145



14437-1913

DEBRECENI EGYETEMI KÖNYVTÁR  
10437/19 5 gyarapodási leplékszám.

756406



